PAULI
TARENGHI ROMANI.
ODARUM LIBRI IV.

PAULI
TARENGHI ROMANI

LITERARUM LATINARUM IN IMPERIALI
VILNENSI LYCEO PROFESSORIS
PUBLICI ORDINARII

ODARUM LIBRI IV.

Quarum singulæ singulis Horatianis
tam metris, quam versibus
respondent.

Accedit Epodon Liber eodem
modo elaboratus.

VILNÆ

Typis Iosephi Zawadzki
Universitatis Typographi.
A. D. MDCCCV.

CELSISSIMO PRINCIPI

ADAMO CZARTORYSKI

SACRÆ FRANCISCI II. MAJESTATIS IMP: REG: APOST: SUMMO EXERCITUUM DUCI &c. &c. &c.

PAULUS TARENGHI

D. D. D.

EPIGRAMMA.

Sit meus Heroi liber hic sacer, optima novit
Qui rerum, et Flacci pendere scripta valet:
Cujus et armorum laus est, et Palladis æqua,
Qui bona Sarmatiæ comparat omnigena;
Talem cui Conjux Sobolem parit aurea, qualis
Latona et Divum luminis, et Triviam.
Hic sacretur, ADAM, Tibi: Tu munuscula summus
Ne sperne: et parva est victima grata Jovi.

PAULI TARENGHI ROMANI ODARUM LIBER PRIMUS.

ODE I.

AD HIERONYMUM STROYNOWSKI.

ÆQUAS consiliô Nestora, Socratem
Acri mente refers, moribus exprimis
Intactis Curium, surgis Olympico
Victori similis, RECTOR, honoribus.
Jam Te Sarmatici litoris, et sinus
Arctoi, resonô carmine prædicant
Factis egregium grandibus incolæ,
Quod gens attonitis ebibit auribus
Quævis ætheriô sparsa sub ambitu,
Et pæana Tibi jure sacrum canit.
Quid mirum? nitidâ si mage gloriâ,
Vilnæ fama magis quò sonat, emicas,
Quæ, Te præcipuas jactat ovans Duce,

Doctæ divitias Pallados, ut vetus
Attis, vel regio Romula. Parcite
Vos et livor edax, fastus et insolens,
Et vana ambitio, flammeus et furor
STROYNOWSKI jaculis velle lacessere.
Monstris exitium nam velut Hercules
Clavâ terrificis intulit inclytus,
Sic Heros validi viribus ingenî
Vestros impavidus conteret impetûs,
Infringetque minas, collaque aheneis
Stringet compedibus. Quanta laboribus
Merces parta Tuis! præmia quæ manent
Curas tot vigiles, scripta tot aurea,
Quorum laude potens tolleris ad Deos!
Non me, non species ludit, inanibus
Formis decipior non ego somnii:
Securo reserant jam tibi sidera
Cœlestes aditûs, unde virentibus
Æternûm foliis cingeris ab Jove,
Nostrô cujus amor solicitus bonô
Vitæ longa prius tempora destinat
Tam caro capiti, tam bene provido
Rerum Rossiadis utilium Viro.

ODE II.

AD MARTINUM POCZOBUT.

NOCTE dum cœli specularis ignes,
Mente sic ornas nitidâ tenebras,
Ut Tuis, POCZBUT, decores diurna
Lumina factis.
Se Tibi Mavors, Venus, et rotantur
Quotquot, aut hærent spatiis Olympi
Signa, ceu Latmo rutilans Diana,
Proxima produnt.
Unde non tantum decus, et figuras
Siderum calles, varios at orbes
Lege concludis stabili, polique
Intima pandis.

Hinc et Anglorum radians amicâ
Luce Nevtoni Schola Te Sophorum
Inserit cætû patrio, Tuamque
Gallia mentem
Consulit doctæ celebris Minervæ
Prole; quin clarum meritis Apollo
Te canit Pindi viridi sub umbrâ
Dum nitet axe,
Cui novum curas decus usque, ducat
Tempus Autumni, tepidique Veris,
Aut vices Æstus calidi, vel atræ
Frigora Brumæ.

Quid loquar mores faciles, et auri
Seculô dignos veteris labores
Palladis, quos Uraniæ supremo
Jungis honori?
Quid probos imô memorem recondis
Corde quos sensûs, penitâque mente,
Indolem divæ quibus incolarum
Exprimis Arcis?
Dona Tù Regis meritus decora
Sarmatæ, fulges Cruce Tu sacratâ,
Pectori quæ se sociat verendô
Pendula collô.
Quælibet Vilnæ bona Tu Lyceo
Ante Doctorum Caput apparasti:
Lauream Numen Tibi dedicavit
Relligioque.
Plaudit Ignatì veneranda tanto
Turba natorum decori, canitque
Te placens, Magnum, sibi, Te Parentis
Gaudia divi.
Quinque quin zonis positæ sub axis
Efferunt gentes pretium canorâ
Voce præcellens operum, quibus tot
Serta mereris.
Interim vatis placidô tuere
Ore devoti Tibi cum Camœnis
Carmen exortum populô Tuorum
Auspice Fratrum.

ODE III.

A D
AUGUSTINUM TOMASZEWSKI.

THESEA mihi jungeris,
AUGUSTINE fide, Pirithoum Tibi
Me præsto, neque mutuis
Infidum patiar pectus amoribus,
Seu me pauperies premat,
Seu cornu teneam fertile Copiæ.
Ambos alta Quiritium
Jampridem studiis agmina deditos
Isdem sub Sophiæ sacris
Conspexere, pari sorte, penatibus.
At nunc Sarmaticæ tenet
Præstans omnigenò Regia Pallados
Cultu, nomine, gloriâ,
Te quæ Relligio dogmata præcipit
Tradentem juvenum choro,
Me quo sint Latiæ verba sonantibus
Componenda lyræ modis,
Et queis eloquium sensibus aurei
Secli staret, et artibus.
Invidere meæ Te patriæ lares
Vilnenses, Tibris additum
Vilnæ me, Superum non sine numine.
Oh quantum geminis patet

In commune bonum! Quam bene sidera
Nostros consociant sinûs!
Hæc nos conditio sed facit impares,
Vastum quod Tua vicerit
Jam cœli spatium fama volubilis,
Terris dum mea conditur.
Expers at decoris non meriti libens
Vivam, si potero Tuis
Grates officiis reddere debitas,
Non oris sonitu modò,
Factorum serie sed quibus ultimus
Finem constituat dies.
Oh nostris utinam Melpomenes bonus
Rideret favor ausibus!
Ut dignô canerem carmine, fervidus
Œstrô,præpositum mihi
Vilnæ Thelemaco Mentora Te ducem

ODE IV.

AD AMICUM.

QUATUOR acta meis vix lustra fuere, GASPAR, annis,
Cum Rhetorum me literas Pisauri
Audiit urbs juvenes felice satis docere linguâ.

Excepit hinc me civitas, Anemo
Quam secat, et potui, fatis melioribus, magistrâ
Tonare doctor voce per Lyceum.
Mox mihi Romanæ data prolis cura perdocendæ,
Factusque Doctorum choris Minister,
Sub lare Romuleæ Sophiæ præcepta me Suadæ,
Quandoque, sic dantem decora pubes
Sensit, ut auxiliô Divûm, laudis mererer, atque
Plausus referrem non parum sonori.
Hinc alios inii cursûs, aliosque, pervagatus
Telluris, ut scis, plurimos recessûs.
Donec Roma fuit rursus mihi meta destinata
Longæ viæ passo graves labores.
Denique dicta Tuder mea non sine præbitis amorum
Signis beavit, quò beatiora
Tempora mi Vilnam daret æquus Juppiter advocato
Ad occupandos maximos honores.

ODE V.

AD ADVENAM.

VILNAM qui properas, Hospes, ab igneis
Mundi vel gelidis, vel tepidis plagis,
Cunctis cerne relictis,
Lentis luminibus prius
Sacratam variis alite candidô
Musarum studiis, et Sophiæ Domum,
Contemplare bonis qui
Mentes artibus imbuant.
Felixque, attonitô pectore, dicito
Tantis quod fruitur laudibus oppidum.
Rossis commoda quanta!
Quæ non inde fluent opes!
Et cum te patrio reddideris Lari,
Visam ne taceas suppositam tuis
Unam ex Attidos urbem,
O tarde Arctophylax, rotis.

ODE IV.

IN VILIAM FLUVIUM.

O QUI prægravidos ubere, Vilia,
Vilnæ lambis agros, quod tibi fluminum
Non laudum tribuat carmina? quod neget
Lymphis jungere se tuis?

Non tantum variò flore quòd enites,
Horæ cum redeunt veris amabiles
Pictis marginibus, quódque sub igneô
Ardores Cane temperas.
Non quòd multigenùm copia piscium
Inter vitra tui denatat alvei,
Luculli dapibus quæ foret addita
Jucundum decus, et novum.
Sed præter placidus mœnia quôd fluis
Urbis, cui dederunt Numina prosperis
Ædes auspiciis condere Palladis
Illustres magis in dies.
Quas Istri, Tamesis, Tibridis, et Tagi
Potor perpetuis tollet honoribus,
Rhenique, et Rhodani, quotquot et amnium
Gurges marmoris excipit.

O D E VII.

IN DIEM GENETHLIACUM ALEXANDRI I. OMNIUM ROSSIARUM IMPERATORIS ATQUE AUTOCRATORIS.

En redit, et rediens nova secum gaudia ducit,
  Atque alios, aliosque bonorum
Hæc hominum fontes generî Lux alma recludit,
  Et cursum melioribus annis,
Signat ALEXANDRI quæ primæ tempora vitæ,
  Qua nihilum pretiosius extat.
Ardeat in cunctis festivô lumine templis
  Plurima fax, geminentque fragores
Fulmina lætificos belli, requiesque sonanti
  Non lituo, citharæque, tubæque
Ulla sit, aut choreis juvenum modus ullus, et omnis
  Sternatur variô via flore:
Stragula equos decorent insignia, quæque tapetis
  Nobilibus præfulgeat ædes:
Promat opes quascunque tenet quicunque, nec ullus

Non mensis epuletur opimis.
Denique lætitiæ pandantur signa beatæ
Undique, tristitiâ procul actâ.
At tu, Vilna, tuis Sophiæ sub sedibus almæ
Olli præcipuos fer honores.
Machina surgat in his mediis curvataque in arcum,
Et solidis innixa columnis.
Quatuor exornent facies anaglypta, magistræ
Artis opus, referantque tacenda
Nulli facta virûm, quibus Ille meretur et orbis
Laudes, et præconia Divûm.
Ipse comas lauris equitet præcinctus amœnis
Summa tenens fastigia molis.
Hæc tum verba notent, fuerit quæ caussa secundi
Hujus, consiliumque laboris.
Quot quis ALEXANDRI vitæ momenta, tot Ipso
Dinumeret Vilnæ bona nata.

O D E VIII.

IN VILNAM.

Cur mihi non dedere,
Vilna, Divorum bona te numina, tot pri-
usquam
Et paterer labores,
Et malorum millia ferrem Stygiis ab oris
In caput irruentum
Vatis hoc nunquam meriti, judicibus vel
ipsis?
O Superûm voluntas
Semper arcanis tenebris abdita, nunc pa-
tescis,
Me socians Lyceo
Quod meæ junxit sibi mentis penitas me-
dullas,
Quodque mihi bonorum
Tot creabit millia, quot nec mala tunc fu-
erunt,
Cum premerer vel undis
Æquoris nigrantibus, aut horrida terra fa-
uces
Mi reseraret altas,
Ut forem torvo miser heu! victima danda
Diti.

ODE IX.

IN IMPER. VILNENSEM ACADEMIAM.

Perfecta nondum surgis ab integro
Arx o, labori Palladio sacra,
Non explicata dum per omnes
Fronte nites celebranda gentes.
Nec dum coronat te chorus integer
Doctorum, adhæret nec tibi copia
Cunctarum adhuc rerum sagaci
Provida quas studiò requiris.
Tantis abundas laudibus attamen,
Tantòque gaudes nomine nobilis,
Paucæ parem ut jactent honorem,
Atque tui titulos triumphi.
Ergo quid ævi tempora posteri
Non gloriæ, non præcipui tibi
Cultus parabunt? quæve dicent
Non citharæ tua facta vatum?
Jam nunc ab istis prospicit Ædibus
Exire cives omnigenæ patria
Artis, vel armorum, togæve,
Lætitiâ exsiliens, peritos.
Jam Vilna quæ te continet aureô
Dicenda seclô digna, tot e sinu
Quæ fundet heroas, quot olim
Græca tulit Schola, seu Latina.

ODE X.

IN SUAM LYRAM.

Si quis, o felix Lyra, te rogarit
Vilna cur semper tibi concinatur,
Hæc refer blandô modulata plectrô
Verba petenti.
Ille Doctorum venerandus ordo,
Cui placent nostræ moduli Camœnæ,
Tam mihi carus, mihi tam benignus,
Me sibi vovit.
Verticem tollens meritò superbum
Vilna quo gaudet, celebri futura
Sericæ, Gallæ, Lybicæ plagarum
Digna canore.
Hìc sono multis datur invidendo
Vatibus merces bona, spesque Musis
Est revolvendos melior per annos.
Hìc Themis æquas
Librat & lances, viget & secundis
Alma Pax Divis, aditusque cunctis
Panditur, virtus variis ab orbis
Quos vocat oris.

O D E XI.

AD SODALES ROMANOS.

Ne vos amplius, o quot mihi Romæ precor, audiam
Dixistis properes Sarmaticum ne, comes, ad solum,
Nam te mors [adeo frigore constringitur] huc manet
Assuetum tepidas ætheris auras, bone, carpere.
Quid? Vilnense mihi nonne bonum quodlibet attulit,
Non ut dira modo atri Boreæ flamina temnerem,
Sed vitâ fruerer, munere Divûm, meliore ubi
Me cepit studiis præradians Palladis oppidum?

ODE XII.

AD PRÆCLARISSIMOS IMPER: VILNENSIS ACADEMIÆ PROFESSORES.

Quis Tuis dignum meritis inibit,
Ardeat Phœbi licet igne, vates,
Ut recens cunctis resonet per ævum
Gentibus hymnum?
Cara tam Proles Sophiæ, novemque
Quæ colunt Pindi juga læta Divis,
Quàm nec aut Latmus Triviæ, nec Idæ
Ora Cybelle.
Nullus ah! tanto moveat volatû
Providus pennas sibi, ne caducis
Icari plumis pereat sub atris
Turpiter undis.
Te, nitor vatum, decus, atque custos
Hoc decet carmen, celebranda nervis
Summa tantorum citharæ tuæ sunt
Nomina Patrum.
Eja, sanandis, age, dic phalangem
Inclytam morbis, misero, quot, ignes
Auferens furtô Superis Prometheus
Intulit orbi.

Dic & arcanas retegens latebras
Agmen, admotis facibus, Parentis
Maximæ rerum, penitasque visens
Illius ædes.
Divites & qui rationis usûs,
Et docent normas hominum tenendas
Moribus versu tibi concinantur,
Phœbe, sonorô.
Quique doctrinæ reserant supremi
Numinis fontes, radiòve cœli
Astra describunt, vel aperta terræ
Litora signant.
Nec minus Musis canito vigentes,
Et tibi cœtus, comitesque Suadæ
Queis madent ipsâ labra præparatò a
Nectare Divâ.
Juris excelsos pariter peritis
Devove cantûs varii, parique
Laude fingendis tabulis decorum,
Vivaque doctum
Ducere heroum rigidò de saxò
Corpora ingentûm super astra tolle,
Molibus nec non celebrem struendis
Arte magistrâ.
Gloriam gnaro neque denegato
Temporis rerum veteris superbam,
Et quot hôc fulgent potius quam illô
Mentis honore.

Junge mox, oro, citharæ, Sororum
Tibias divæ, lituos, tubasque,
Quidquid & Pindo est sonitus, ut audax
Talia cantem.

Additæ Divis animæ secundis
Grandibus Vilnæ laribus Lycei,
Vivite, æternas meritæ coronas,
Secula vitæ.

Vos docendorum juvenum serena,
Vos & incensô studiô sequuntur
Imparis vestris meritis canendis
Vota poetæ.

ODE XIII.

IN OBTRECTATORES.

Si quis morsibus audeat
Vilnæ sacrilegis impetere invidus
Eductam Sophiæ Domum,
Vates hunc validis, Liber ut impium
Rhætum, unguibus, & genis
Perdam, cum superi scanderet ardua
Cœli fratribus additus.
Hic & Palladiam sentiet ægida
Infestam, & rabiem sibi.
Hunc & Pierides effodient novem

Furcillo immedicabili.
Hujus, Phœbe, tuis ora sagittifer
Frangentur jaculis nigra.
Quin centumgeminis magna Jovis manus
Illum conteret ignibus;
Aut Neptunus aget per scopulos ferox.
Squamosis epulum incolis,
Aut Pluto reserans intima Tartari
Torquendum Furiis dabit,
Orbis ludibrium, & poli.

ODE XIV.

AD AUDITORES IMP: VILNEN: ACADEMIÆ.

Quæ vestris, Juvenes, agminibus novæ
Accedunt acies, militiæ decus
Almæ Palladis, ingens
Phœbei columen chori?
Sunt hæ, cur dubitem? quæ bona tempore
Curabunt patriæ plurima post brevi,
Mentis viribus usæ,
Robur quas juvet artium.

Ergo compositis carmina convenit
Vilnensi, Juvenes, dicere vocibus
  Consecrata Lyceo
    Quod vos jam simul excipit.
Rectoris meritis tollite laudibus
Dignum perpetuis nomen honoribus,
  Doctorumque cohorti
    Hymnorum date millia.
Sed vos præcipue detineat Pater
Et Spes Imperii maxima Rossici,
  Cujus tanta tenetis
    Summis commoda nutibus.

ODE XV.

APOLLINIS VATICINIUM.

Vilnæ Sarmaticis gentibus ardua
Moles cum Sophiæ surgeret, illius
Pendens hæc cecinit culmine, dexterô
    Vates Delius alite.
Quæ te propitiis Numinibus videt
In sublime dies tollere verticem,
Seclis adspiciet stare perennibus,
    Saxum ceu Capitolî.

O felix nimium quæ mihi militas
Pubes, quæque novem mente Sororibus
Hæres, ingenuis Pallados aut vacas
Solers artibus aureæ!
Nunc sumas animos, nunc tibi postera
Promittas vicibus tempora candidis:
Nunc te perpetuis patria destinat
Palmis, & Superûm choro.
Non hanc aut Boreas flatibus impotens
Ædem concutiet, fulguris impetus
Nec sternet, furiæ, tela nec hostium
Lædent, aut mala sors premet.
Delphos ut properant agmina gentium
Quò reddenda mihi oracula consulant,
Sic responsa Domûs quilibet e Sophis
Tantæ sedulus expetet:
Et cœlum rutilâ ceu face compleo,
Hujus non aliter de penetralibus
Terrarum exoriens lumen ad ultimas
Diffundet radios plagas.
Virtus hic referet præmia regiô
Luxu digna, manent hic meritas comas
Lauri, magnanimûm frondibus æmulæ,
Hærent quæ capiti Ducum.
Frustra pyramidas Memphis, & insolens
Jactarit Babylon mœnia posteris:
Illarum cecidit gloria molium,
Hujus secula proteret.

ODE XVI.

AD
HIERONYMUM STROYNOWSKI.

Non Te fugacis temporis ambitus,
Rector, coercet, terrave gentibus
Extrema, victorem latentis
Invidiæ, tumidique fastus.
Non, si labores quot tulit Hercules
Clavâ trabali prodiderit, Tuos
Æquabit audax, nec triumphos,
Quisquis avet retulisse, ducet.
Æterna rerum Te series manet,
Metata nullis sidera finibus
Arces beato destinantur
Jure Tibi mala dura passo,
Postquam serenæ secula videris
Vitæ, nec atros amplius aut furor
Extendat ungues, aut procaci
Immeritum petat ore livor.
Vilnæ vetusti divitias paras
Auri, nec ullô concuteris metu,
Seu quis retortô, quis sagaci
Lumine Te videant, uterque
Fallax; columnæ scilicet in modum,
Lancis vel æquæ flectier insciæ

Ambobus insultas decorus
Nominibus, meritâque famâ.
Jungeris alto, ne dubites, choro
Virtutum, et orbis quilibet angulus
Fastisque STROYNOWSKI potentem,
Usque canet, recinetque Divum.

O D E XVII.

IN PALLADEM SARMATICAM.

ATTOLLE, dixit, Sarmatis o, caput,
Pallas, decorum vividior poli
Summas ALEXANDER per arces
Facta solô, nebulisque major.
Per te rosarum copia floreat,
Gramenque lætum surgat in asperâ
Silvæ latebrâ, sempiternis
Quam nivibus fera bruma damnat.
Ilex, & alnus, quercus, & æsculus
Educat hortis Hesperidum pares
Fructûs, & inter vitis atros
Læta rubos reseret racemos.
Ætatis orbi splendeat aureæ
Rursus beatum lumen, & integri

Mores reviviscant virorum,
Quos eadem generavit ætas.
Sit Vilna sedes præcipuæ tibi,
O Diva, laudis: huc fluat undique
Sibique pubes mox futura
Utilis, Imperioque Nostro.
Ut jussit Heros talia, protinus
Mandata Pallas duxit ad exitum.
Jam Sarmatarum antehac nitentes
Luce Scholæ meliore fulgent.
Quin & recessus quilibet abditi
Horrore saxorum, aut nemorum prius,
Pervasit hic splendor, vetusque
Squalor, eo veniente, fugit.

O D E XVIII.

AD QUEMDAM.

NE mirere bonis quod scateat, quis-
quis es, optima
Vilnensi Domus urbi data quò Palla-
dis explicet
Artes ingeniô quaslibet egregiis choris:
Flumen quippe bonorum rigat hanc,
educat, evehit

In majus, laticum semper abundans: neque lampade
Quod tantum nitidà splendeat idem stupeas velim:
Solis namque jubar, quod superat lumen Apollinis
Hanc vestit, fovet, et circumit, et sic rutilam facit.
Nec te quod Sophiæ tot celebres advocet attonet
Doctores, quibus insignior evadit, et amplior:
Augustus quoniam alter jubet hæc ut pateat Domus
Cunctis usque viris, quos probet, et maxima Palladis
Virtus, ingenuum quos decus, et quos meritum inclytum
Commendet. Cupis hujus venerandum ut tibi proferam
Nomen? deliciæ, (nam sonat hoc) et generis virum,
Titus qualis, amor, Primus Alexander in omnibus.

ODE XIX.

AD SEIPSUM.

TENTABO vagus ultimum
Telluris pedibus præpetibus sinum,
Quo jucundus amor meæ
Vilnæ me stimulis insolitis rapit.
Parcas non levis intonat
Vox emissa polò passibus, impiger
Vates, nam petiit loca,
Ad quæ tu properas fama celerrima.
Illuc carmina, non tui
Gressus advenient, plurima quæ dicas
Urbi, quam celebrant Deûm,
Ne dum terrigenûm quælibet agmina;
Quæ nunquam tenebris nigror
Obscurare queat, vel rabidus suis
Livor rodere dentibus
Musis grata novem, et carmina Apollini.

ODE XX.

AD THYRSIDEM.

Dum favet veris decus, et secundâ
Luce Sol fulget, viridi recentes
Seduli flores gemini legamus,
Thyrsis, in horto.
Unde felici religata nexu
Bina sint illi capiti sacranda
Serta, quod dignâ nitidum tiarâ
Suspicit orbis.
Hinc opus tali vice dedicemus
Oris, et mentis: Stroynowski, amicas
Laureis florum Tibi præparatis
Junge coronas.

ODE XXI.

AD SODALES.

Quæ me Parrhasii picta coloribus;
Mirisque Effigies ductibus attonat
Vestram, clara, Sodales,
Mirô lumine per Domum?
Nosco: Rossiacæ Patris, et Arbitri
Vultus hîc radiant gentis, et indoles

Titi moribus altæ
Laudis non minuens parum.
Majestas, et Amor quam bene vividis
Hærent luminibus! frontis ut ambitu
Ridet gratia toto!
Quæ non ore fluunt bona!
Unâ quot videas hac in Imagine
Heroum facies semideûm! Mihi
Quis talem dabit olim
Vivam cernere quò beer?

ODE XXII.

AD NYMPHAS.

Collium Nymphæ juga quæ tenetis,
Quæque Vilnenses fluvios, et agrum,
Vere cui rident redeunte, florum
Mille cohortes,
Candidis lætas pedibus choreas,
Fronde præcinctæ viridi capillos,
Proximæ muris agitate circum,
Tectaque gentis.
Trina non desit Charis, adsit almus
Delius, centum Genii sequantur
Numen, et Pindi properent relictô,
Monte, Camœnæ.

Festa sunt nostris hodie catervis
Non sine intactis celebranda lauris;
Quippe Lux vidit patrium novari
Ista Lyceum.
Vilna quo tantos referet triumphos
Romulæ quantos retulere turmæ,
Hæ manus, mentis bene præparatæ
Viribus illa.
O Dies auri numeranda seclo,
Digna quæ fastis hominum notere
Inclytis, vati tibi consecrato
Fulge secunda.

ODE XXIII.

AD ADOLESCENTES STUDIIS DEDITOS.

Quisquis Palladiis pectore fervidô
Contendis fieri laudibus inclytus,
Non segnes, age, gressus
Vilnæ confer ad oppidum.
Cessas? vix propriis una, vel altera
Magnum præsidiis hoc Schola juverit
Quod moliris opus, quos
Orsûs mente moves gravi.

Diversâ, sapias, quamlibet in plagâ
Mundi lumen adhuc ætheris haurias,
Huc o, rumpe moras, huc
Festinô properes pede.

O D E XXIV.

IN VATES VETERES.

Vates quot gremio divite protulit
Olim vel Latium, Græcia vel parens
Oh nostris utinam temporibus bona
Servasset Superûm cohors!
Horum non genios tangeret aut honor
Tantum Priamidæ splendidus Hectoris,
Non sic indomiti robur Achillei,
Æneæ decus aut pii,
Non æque Glyceræ candor amabilis,
Formæ non aliis corporibus datæ,
Martis non adeo lugubre opus trucis,
Nec quæ cætera concinunt;
Quantum sceptra gerens maxima Rossici
Princeps Imperii, cui datur inclytis
Factis Æmonii vincere gloriam,
Cujus nomen habet, Ducis,
Armorum pariter pondere, et aureæ
Tutelâ Sophiæ, cui nova quæ bona

Curet. vos populi dicite Viliæ
Lymphis lenibus adsiti.

ODE XXV.

AD DEOS.

DIVE, qui cœlum moderaris, et qui
Temperas orbem, Superûmque gentes,
Ore Vilnensis placidò Lycei
Cernite pubem.
Hæc bono crescit, decorique sudat
Jmperi, quo non aliud patentis
TETHYOS majus cohibet sonoris
Ambitus undis.
Hæc ALEXANDRI solidata dextrâ,
Sperat et vestris opibus valere,
Illius nullis reticenda seclis
Dum bona pandit.
Jamque felici rutilas volatu
Siderum sedes operosa tentat,
Ut sibi clarum, patriæque curet
Nomen in ævum.
Sed juvet vestrum nisi numen ausûs,
Decidet cæpto revoluta cursu,
Quæ tonans lævum tamen atra perdit
Omina cœlum.

ODE XXVI.

AD SEIPSUM.

Quis me levantem corpus amabili
Somnô, reductum per nemus, excitat
Clangor tubarum? quæ strepentes
Murmur agunt per inane pennæ?
Non ludor: almô circumit omine
Terras Lycei de penetralibus
Emissa Vilnensis per omne
Fama recens sonitura seclum.
Nosco trahentem Palladis artibus
Secum catervas immeritas mori,
Queis docta felicis Magistris
Sarmatiæ tenet astra pubes.

ODE XXVII.

IN IMP. VILNEN. ACADEMIAM.

Non invidendæ gentibus Attali
Tam sunt opimæ divitiæ domus,
Non Roma quæ jactas vetusti
Sunt adeo tibi signa secli:
Non serta, non sic gloria bellici
Victoris ingens, non ager ambitu

Subjectus axis temperato
Amne, mari, riguisque lymphis.
Mendace vulgus non bona quæ sonò
Beata dicit, quàm sacra Palladi
Educta præstanti Lycea
Qotquot habet, vel habebit orbis.
Virtus ab istis nam caput exserit
Sublime primum quælibet ædibus,
Præsignis incedit magistra
Mox decoris varias per artes.
Quæ si honoratis et titulis patent,
Et laude multas inclyta per plagas,
Vilnense tam claris resurgit
Auspiciis, celebrique famâ,
Ut certet alti nominis æmulum
Primis, et omnes conciliet sibi
Sophorum curas, amores,
Ingenium, citharasque vatum.

ODE XXVIII.

DE SEIPSO

NULLI certa dies est certi funeris, o quot
Immensus complectitur orbis,
Nec certam si quis patriam sortitur amicas

Ingrediens in luminis oras,
Hanc poterit certum sibi promisisse sepulcrum,
Tot sors immutat vaga vultûs!
Sed mihi sive brevis fixerunt numina vitæ
Tempora seu diuturna Deorum,
Asia sive meum teget, Afra vel ora cadaver,
Vel patrium mea litus habebit
Ossa, Tibris placidô quam lambit flumine, Roma,
Terræ vel quæcumque plagarum,
Contentus moriar vitæ longæve, brevisve,
Dummodo tot mihi Parca dierum
Concedat, quot erunt satis ut memorabile Vilnæ
Nomen, Vilnensisque Lycei
Maxima facta canem, totum vulgemque per orbem
Nec Musis, nec Apolline lævô.
Lumen ALEXANDRI referam dum lumine Solis
Splendidius, meliusque sereni,
Quo viget Imperium, quo Rossæ bellica gentis
Virtus, quo laudesque Minervæ.
Sufficit et patriâ ni condar humatus arenâ,
Nec tumuli mi dentur honores,

Omnibus ut resonet seclis laus inclyta Vilnæ,
Gloria cumque illâ mea crescat.
At si forte locus tumulo fuerit, lapidique,
Hunc super oh precor! ista notentur,
Posteritas quæ verba legat, miretur, et altâ
Mente memor teneatque, suisque
Præcipiat natis discenda, nec ulla vetustas
Deleat, inficiantque venenô
Livoris rabida ora trucis, violare nec acer
Audeat ullius furor hostis.
Hîc vates, bona qui cecinit si carmina Vilnæ
Virgilii non curat honores.

ODE XXIX.

AD LAPICIDAM.

NAM quid moraris? corripe malleum,
Scalprumque, felix quod Superûm bonus
Cœtus tuis hoc destinârit
Tantum operis, Lapicida, palmis;
Vilnæque sacrâ fronte super Domus
Sculpas Minervæ carmina talibus
Mandata sulcis, ut maligna
Rodere non valeat vetustas.

Surgo Lyceum Pontificis caput
Sublime tollens jure favoribus;
Jussis ALEXANDRI resurgo
Splendidius, ferioque cœlum.
Non te laboris tædeat: inctibus
Nam quot cavabis marmor, honoribus
Tot grata Vilnæ prosequetur
Te genita, et generanda proles.

ODE XXX.

AD SUOS AUDITORES.

Quisquis in nostram properas palæstram
Temperes linguæ, cave ne vageris
Mente vel gressu levis, arrogantes
Exue mores.
Comis, urbanus, decorisque plenus,
Laudis appare cupidus Minervæ,
Auribus quæcunque capis, profundo
Pectore conde.

ODE XXXI.

AD SODALES.

Horrente nigris nubibus æthere,
Strictisque dirò fluminibus gelu,
Brumæque densatis gemente
Sub nivibus siluâ procacis,
Romæ reliqui mœnia patriæ,
Terrâ lacessi mille pericula
Interritus vates, marique,
Prægelidam properans ad Arcton;
Vilnæ sed ut me nobilis oppidum
Jam pæne fractum cepit itinere
Tantò, coarctatumque durô
Membra gelu; mihi seque vinxit
Dicata laudi Palladiæ Domus,
Hæc mi benignô delicias sinu
Quot prompsit! haustus quot bonorum
Præbuit omnigenûm, Sodales!
Tunc et labores otia, tunc honos,
Veris rependit frigus, et anxiæ
Cessere tunc mentis timores,
Tunc solui mea vota Divis.

ODE XXXII.

AD MANES P. OVIDII NASONIS.

SARMATAS olim patriis ab oris
Exsul infestos, profugos canebas,
Barbaros, Naso, genus et cruentis
Cædibus aptum.
Fata sed vitam tibi si dedissent
Hujus in terris agitare gentis
Nunc ALEXANDRI geniis amicis
Mille beatæ;
Si tot illius Sophiæ sacratas
Cerneres ædes modo per patentem
Ambitum, tollit meritô supremum
Quas caput inter
Illa quæ Vilnæ data, te vocarent
Cæsaris dulces licet ad penates
Jussa, vix gressûs reduces moveres
Lætus ad Urbem.

ODE XXXIII.

AD ROMANOS.

SEPTEM, Roma, tuis collibus addita
Tercentum veteris signa potentiæ

Jactes, præcipuæ nomen et urbium
Urbes dent aliæ tibi.
Labatur Tiberis turgidus alveô
Ductorum memorans facta potentium;
Et jactet domitum Romulus a suis
Orbem militibus pater.
Me, quamvis genitum mœnibus illius,
Vilnensis requies excipiat Scholæ;
Pompas tolle tibi, dum liceat mihi,
Vivo dicere Sarmatis.
Hic dirô Boreas flamine sæviat,
Hic et bruma rigens vix referat diem,
Sol hoc Rossiadum summovet Arbitri
Ab cœlo mala quælibet.

ODE XXXIV.

IN ANIMI ANXIETATES.

Hinc execratæ solicitudinum
Turbæ, malignos ferte pedes retro,
Audete Vilnensis nec ultra
Unquam animos agitare gentis.
His jam potitus mœnibus exsilit
Ingente Phœbus lætitiâ pater,
Signumque, ceu victrix, Camœna
Lætitiæ, trucis hostis, effert.

Hîc innocenti panditur et joco,
Risûque dulci porta, nec aurei
Desunt lepores, obstrepentes
Aut citharæ moduli loquacis.
Non et choreæ: nam caput omnibus
Pallas verendum gentibus erigit
Hac urbe. Vos Ætnæ barathrum
Scyllave, vel capiat Carybdis.

ODE XXXV.

AD JOANNEM PETRUM FRANK.

O QUI tropæô surgis, et inclyti
Plectrô Sophoclis dignus, et Æschyli,
Doctore felices Hygiæ
Quo radiant, velut astra, sedes,
FRANKI, Sophorum gloria, nobilis
Vilnæ Lycei splendor, et anxii
Solator orbis, dum salubres
Tam decoras decoratus artes.
Te nulla morbi caussa, nec utilis
Ullus benignæ præterit aut honor,
Aut usus, aut virtus Parentis,
Subdita cui tria regna, rerum.
Te laude Coo concelebrant Seni
Parem secundô carminis omine

Cœtus Medentum, quot per urbes,
Phœbe, vides revolute cœlô.
Natos parentum reddis amoribus,
Quos forte morbi vis premat insolens,
Morbôque confectos parentes
Restituis sine labe natis.
Quin et Virorum tempora principum
Producis altò mentis acumine,
Plerumque gentes queis beantur
Sospitibus, tumuloque raptis.
Quid falce terres, mors, homines ferâ,
Nondum senectus quos premit arida,
Si mente te retro JOHANNES
Vivificà properare cogit?
Germanus, Anglus, testis et Italus
Gallusque facti; nunc quoque Sarmata
Rossusque, quos inter refulget
Arsinoes velut alma proles.
Non Ille, quamvis dura necessitas
Procacitati tradiderit tuæ
Tolletur omnis: vivet usque
Dum Sophiæ soboles vigebit:
Et dissolutis corporis artubus,
Te continebit divite copià,
Sensisque scriptorum, tuamque'
Franget adhuc rabiem superstes.

ODE XXXVI.

IN DIEM ANNIVERSARIUM ÆDIFICATIONIS IMP: VILNEN: ACAD:

Dum te, Lux, videam aurea
  Semper luce magis divite fulgidam,
Vilnæ surgere regiæ
  Vidisti Sophiæ quæ penetralia
Cunctis commoda gentibus;
  Luces non aliæ, nil moror, efferant
Splendores mihi candidos,
  Obductoque nigris nubibus ætheri
Damner. Sed quid amabilem
  Rectorem ætherii luminis urgeam,
Quò te nobilioribus
  Exornet magis, ac usque magis notis?
Idem si Deus artibus
  Auspex ingenuis, Duxque præeminet,
Qui summum tibi ni decus,
  Lux o, conciliet, nominibus putet
Indignas gemmis suas
  Laudes. Oh! toties terrigenis redi
Sol claret quoties nigram
  Silvarum faciem, nox tenebris tegat.

ODE XXXVII.

AD MANES CASIMIRI SARBIEVII.

MANES Horatî Sarmatici leves,
Altum sepulcrò tollite verticem,
Vilnæque fas vobis Lycei
Cernere sit meliora fata.
Vestri sonabat fama per oppidum
Hoc ante, terras sicut ad ultimas
Felice præcellens Camœnâ,
Nunc sonitu graviore prodit.
Nam Palladis quô Vilna magis nitet
Splendore divæ, vester eò micat
Insignior, nullis honorque
Tractibus imminuendus ævi.
Sed jam poetæ vocibus exciti
Manes resurgunt SARBIVII sacrum
Templum stupentes quod Minervæ
Sarmaticæ dat habere genti
Custos ALEXANDER, Pater, Arbiter
Tutela præsens, et decus Imperî,
Quo majus haud ullum tuetur
Attonitô vagus orbis ore.
Jamque auspicatis versibus intonant,
Salvete, dulces Palladis o Lares,
Olim recenti laude quos, nunc
Perpetuâ video decoros.

Vobis beatâ pace fruentia
Regumque plaudunt agmina Principum,
Vestrosque curarunt honores [bræ:
Pontificum innumeros quot um-
Mecumque gentis Sarmaticæ poli est
Quidquid serenis arcibus additum,
Dicunt ALEXANDRI triumphos,
Dum geminant tibi, Vilna, plausûs,

ODE XXXVIII.

AD PUERUM.

MENTE qui præstas, Puer, et decora
Corporis forma teretis, probisque
Moribus, Vilnæ sapienter uti
Disce Lyceo.
Hoc Tibi vitæ bona præparantur
Cuncta sub tecto: docilis capesse
Tempus, hinc ævo fruitus beato,
Te rape letho.

PAULI
TARENGHI ROMANI
ODARUM
LIBER SECUNDUS.

ODE I.

AD
THADDÆUM CZACKI.

Quæ Te fatiget cura? quid optimô
Non acre vincat consilium bonô
Pro patriæ, Czacki, vel ardens
Qua veheris super astra virtus?
Tu dives, [at non Ipse Tibi] Domum
Paras puellis femineo piis
Aptam labori, propriôque
Ære juvas pueros docendos
Artes Minervæ, cujus in ædibus
Per Te supellex munificum nitet
Mirè Mathesis, rerum et almæ
Utilior studiis Parentis:
Mirè vetustis fastibus aptior

Illuminandis. Tu sapiens putas,
Et jure, deberi Sophorum
Ingenium minus arte doctis.
Hinc Auctor, orbis non sine laudibus,
Exsurgis acer sæpe voluminum,
Ætate quæ nullà futura
Sint Sophiæ reticenda proli.
Hinc primus urbi Varsoviæ chorum
Curas vigentem Pallade, nobilis
Cujus per omnes fama terras
Perpetuis volitabit alis.
Quid plura? vivis Tu mage gloriæ,
Et cæterorum, quam Tibi, commodo,
Plausuque Te quivis honorat,
Qui recolit Tua facta cœtus.
Oh! si Deorum numina dent parem
Heroa cunctis urbibus, omnia
Beata cernas, et malorum
Linquere terrigenas cohortes.
At vota sunt hæc si nimis ardua,
Saltem benignus det Superûm favor
Per multa tam clarâ coruscum
Laude Virum superesse secla.
Hoc ipse, mecum Sarmatis et plaga
Precatur, omnes hoc prece fervidâ
Poscunt quot urget spes amîcæ
Pallados, Imperiique cura.

O D E II.

IN OBITUM RAYMUNDI CUNICH.

OCCIDIS vitæ, RAYMUNDE, cursu
Functe præclaris meritis decorô,
At Tui pars est melior superstes
Fama perennis.
Ilias vivet Latiæ Camœnæ
Sic Tuos plectro data per labores,
Propter ut Tibrim videatur orta, in
Hellade nata.
Vivet et felix operum supellex
Laude summorum cumulata vatum,
Tecta ditasti quibus alma quotquot
Pallas amavit.
Cuncta Romani soboles Lycei
Audiit quæ Te veluti Maronis
Voce, ceu Tulli, sibi consulentem
Te canet usque.
Sidus Ignatî recinet suorum
Te Domus semper socium coruscum
Splendidâ tantum face, vix ut ullum
Fulgeat æque.
Dedecent tristes lacrymæ, sodales,
Funus hoc: cygni volat Ille pennâ
Lucidi campos niveâ per axis,
Orbe relictô.

ODE III.

AD
ALOYSIUM CAPPELLI.

Ito: quadrigis usque nitentibus
Aurora pandat se Tibi, candidi
Soles tepescant, auspicatô
Nocte polus radietque vultu.
Ito: Deorum te chorus integer
Ducant euntem, nec favor ausibus
Desit Tonantis, quos amicô
Clare moves, Aloysi, honore.
Discat Britannus quæ Tua noverit
Præstare virtus, nec lateat decus
Germaniam Vilnæ Lycei,
Quo cumulas Tua facta, Doctor.
Et qua nitescas laude peritiâ
Astræa juris Gallica sentiat,
Plaudente Thuscorum, superbit
Quæ meritò Tibi mater, orâ.
Quod si quis illis deditus in plagis
Te noscat almo cœtus Apollini,
Lætetur auditô Tuarum
Mirificô fidium canore.
Jam nunc honoris prospicio novi
Signis ad istos Te reducem lares

Ornari, et æternos merere
Vilna, tuos redamans amores.
Ito: non ulli solicitudinum
Pungant euntis cor stimulis vepres.
Quid vexet unquam quem sequantur
Aonidês, Themis et viator?

ODE IV.

AD CORNELIUM POCOŁOJEWSKI.

Dulcius nam quid potis est amicô
Esse dum nostri rota currit ævi,
Care Corneli, bona quid dederunt
Numina majus?
Hic parat duro requiem labori,
Pandit hic ulnas misero sodali,
Excipit firmô ferientis ictûs
Pectore sortis;
Ridet et, lætis vicibus reductis,
Compari, nec se reputat beatum
Ni beent illum bona tot, quot ipsi
Copia præbet.
Morte quin vitam propriâ rependit
Non semel cari capitis, manetque

Mente, non ullò varius periclô,
Semper eàdem.
Talis at quantum pretiosa, tantum
Gentibus rara est hominum reperta
Unio, vix et mediis inhæret
Millibus una.
Diva quæ junctos regis auspicati
Fœderis vinclis animos, amoris
Mutui leges face me verendas
Usque tenere.

ODE V.

AD GOTTFRIED-ERNESTUM GRODDECK.

O QUI vetustæ passibus Hellados
Percurris urbes Juppiter! inclytis
Felicis inscrutans reductos,
Docte, sinûs, GOTOFRIDE, terræ
Salve. Librorum jam potitur novâ
Per Te Lyceum nobile copiâ
Vilnense præsigni refertâ
Palladis, omnigenæque luxu.
Chartis theatrum Græcia quod tulit

Illuminatur mirificè Tuis,
Caliginosi ceu recessus
Appositis facibus nitescunt.
Te Musa, Te complectitur aurea
Permissa Grajis Suada, Tibi Scholæ
Hellas quot excepit Sophorum
Eximios pariunt honores.
Absolve tantô quod studiô paras
Vilnae, docendis gentibus utile,
Et literis aptum juvandis,
Scriptor, Ephemeridum volumen.
Sic, orbis illis circumeuntibus
Diversa culti litora, proferent
Doctore quo Vilnæ fruantur
Argolicæ juvenes Minervæ.

ODE VI.

AD

JOSEPH CONSTANTINUM BOGUSŁAWSKI.

Ruris adspectu fruar ut beatô
Consulis, curis aliis relictis,
Comis o Joseph, relevemque poscis
Membra labore:
Te sequor, læti, spatiemur agri

Plurimô picti per aperta flore:
Fluminum ripæ modò nos morentur,
Et modò colles.
Dulce venemur volucres canentes,
Et plagas apro teretes struamus,
Nec minus nostras levet aura mentes,
Quàm juvet artûs:
Nocte quò stellas revehente matre,
Gustet et mensas melius palatum,
Carpat et corpus meliore sanos
A dape somnos.
Sic dies nobis aliquot secundâ
Sorte ducantur, repetamus urbem
Hinc, et ardenti magis excolamus
Pectore Musas.
Deficit nullis opibus levata
Vis, et in stagnum fluidæ reductæ
Contrahunt undæ, nisi misceantur
Sæpe, mephitim.

ODE VII.

AD JACOBUM BRIOTET JACOBI FILIUM.

Proles honôris digna parentibus
Virtutis ollis æmula surgito,

Primisque florescens ab annis,
Exsere quos dabis inde fructûs.
Externa multos facta necessitas
Cogat juvencos quærere gloriâ
Ditata; Tu quidquid supremæ est
Laudis habes patriâ sub æde.
Hîc candor almæ stat fidei, modus
Hîc rebus hæret, consilium, pii
Moresque regnant, hic et ardor
Magnanimus ciet ad triumphos:
Privata cedunt commoda publicis
Hic; testis arti congeries dedit
Rerum juvandæ quam salubri
Vilna tuo, genitor, Lyceo,
Qui corda prudens, integer omnium
Vinxit, redundans et Sophiâ, sibi,
Cujusque Te, felix, oportet
Nate, decus retulisse, JACOB.
Urge, quid horres? hoc opus: ardua
Divi secundant cœpta, nec insolens
Natis iter debet parentum
Esse prius pedibus subactum.
Vires nec illæ deficiunt Tibi,
Magnum requirit quas opus et novum.
Natura quando dat vigenti
Prole frui simili leoni.

ODE VIII.

AD
THOMAM HUSARZEWSKI.

Noctis involvat licet umbra primi
Temporis densæ faciem, Magistrô
Te, tamen quantum nigror hic recedit!
Candide Thoma.
Ipse, ceu stellas radiô Mathesis
Gnarus, ætatum vaga puncta figis
Mentis obtutu mage perspicaci
Lumine Lyncei.
Tale si præstas operis tenebras
Dissipans ævi, Tua quæ sit orbis
Judicet clarans propiora nostro
Secula virtus.
Gloriâ dignum reputabit omni
Facta callentem, loca singularum
Gentium, atque omnes facilem dierum
Noscere lapsûs.
Plura nil istis memorabis audax
Musa, nam laudes humilis recusat
Ille laudandus Latiæ Camœnæ, et
Carmine Grajæ.
Addere hoc tantum tibi fas: imago
Tempus elapsum velut est futuri,
Sic mei sensus ânimi, Suorum,
Instar habentor.

O D E IX.

A D
MICHAELEM SZULC.

ÆDES superbum quæ caput erigit
Inclusa Vilnæ mœnibus, ut novò
Splendore cæmenti coruscet
Urbs pariter, Sophiæque laude?
Jactat magistras hoc operis manûs,
Mentisque, SZULCI, grande decus Tuæ;
Illius instar prænitentis
Ordine, mole, locô, profundô.
Hæc luce felix in mediâ Domus
Locata Vilnæ quam bene refricat
Insigne cunctis cæterorum
Quotquot ovas pretium laborum!
Quantum beati non dabit otii,
Mox, in reductis sedibus, incolis,
Doctæ vel insudent Minervæ,
Artibus aut aliis vigescant!
Exceptus istis in penetralibus
Quis non supremis protinus advena
Extollat et muros in unum
Laudibus, Artificemque tecti?
Quis non Deorum præcipuus favor
Tutetur hæc, et sospitet, et beet,
Pro patriæ summo decore,
Ingenii monumenta summi?

ODE X.

IN TUDER.

INTEGRUM, felix, TUDER o, per annum
Non mihi dulci sine laude cultum,
Cum tuam Rhetor sobolem docerem
Rhetoris artes:
Otiô semper placidô fruare,
Candidi pandant per aperta Solis
Finium sese radii tuorum,
Sit levis æther.
Tuque subjectos riguis novales,
Tibri, fœcundes pater usque lymphis,
Illius, dum te capiunt Quirini
Tecta petentem.
Cuncta profundat populo Tuderti
Desuper cœlum bona, quæ nec atrox
Hostis, aut motô valeant tumultu
Tollere rixæ.
Hæc precor longô spatiô remotus
Orbis, o nullô mihi non futura
Civitas ævô recolenda; faxint
Hæc rata Divi!
Præsuli Vilnam tibi: ne queraris
Hoc super: quis non sagulum Lacænis
Purpuris mutet? sterilem vel agrô
Divite campum?

O D E XI.

AD FRANCISCUM SMUGLEWICZ.

Auctore quantum Te decoris Tuæ
Fastis paratur Sarmatiæ, sagax
Francisce, Scriptorum superbis
Qui tabulis monumenta claras.
Illæ theatrum gentibus efferunt
Virtutis ingens, cujus in ambitu
Spectantur insigni virorum
Res animô, ingeniôque gestæ.
Quisquis vel expers artis imagines
Fac cernat istas; gestiet æmulus
Æquare laudandus, colore
Facta refers quot Apellis instar.
Quod si caninis morsibus audeat
Tantum hoc laboris carpere Zoilus,
Subrideas olli, velisque
Ista, precor, fatuum monere.
Hoc illa finxit mens opus, et manus
Cui Roma quondam præmia detulit
Pictoriæ princeps magistra
Artis, et ingenuos honores.
Quæ perspicaci novit acumine
Laudes merenti cernere debitas,

Quæque hoc sui felix Alumni
Vidit opus placidò ore mater.

ODE XII.
AD
HIERONYMUM STROYNOWSKI.

Me si terrificis ensibus impius
Hostis, care, fidem, Rector, adegerit,
Sacravi stabilis quam Tibi fœderis,
Mendax ut violem semel:
Vel si pelliciat maximus Attali
Ad tantum paribus divitiis scelus
Rex, aut propositis quisquis honoribus;
Optet crimen ut hoc patrem;
Armorum fuerit terror inutilis,
Gemmarum species vana micantium,
Nil unquam tituli proficient, nihil
Fraudes, blanditiæ, minæ.
Tellus, ante Tibi quàm rapiar, mihi
Dicto perfidiæ se reseret reo,
Et damnet Stygii Regis ad igneas
Infelix caput hoc domos.
Hærebo soboles perpetuò Tibi
Ceu patri, placidô seu fruar otiô,

Illuc seu tumidis solicitudinum,
Atque huc fluctibus urgear.
Nostro quippe Tui congruit indoles,
STROYNOWSKI, ingenio, mutua necsinunt
Abrumpi gemini vincula pectoris
Sensus, consiliumque par.
Quin cum corporeos immiserabilis
Nexûs vis Atropi sæva resolverit,
Mæcenas veluti Tu, ferar est ego
Vates, Flaccus uti, Tuus.

ODE XIII.

AD ALEXANDRUM POCIEY.

DEVOTE toto pectore patriæ,
Rossique summis Imperii bonis,
Quæ non, ALEXANDER, Tuarum
Facta sonat domus, ora, laudum?
Turgente inundet flumine Vistula
Propter jacentes Varsoviam lares,
Insultet agris, et minetur
Exitiale malum colonis:
Frustra; paternô quandoquidem sinu
Succurris urbi sedulus, et juvas

Cives, laborantes et arctâ
Pauperie populos agrestes.
Inculta tellus vepribus horreat,
Sedes colubrum fœtibus, et Ceres,
Et Flora campis deneganto
Uber, et ingenuos nitores.
Quid inde? fusis Ipse pecuniis,
Vepreta mutas in viridaria:
Squalore sic Divas reducis
Terrificô profugas fugatô.
Testis juventus Petropolis Tuô
Adjecta tectis ære, colat solo
Artes ut aptas excolendo,
Perficiens Tua vota solers.
At singularum si seriem velim
Laudum Pociey texere, queis ovas,
Sol ante ab Arctoô rediret
Ad tua signa, Caper, Boote,
Quàm finis esset. Te melius chori
Laudant egentum quilibet, omnibus
Linguis Sophorum, quos tueris,
Te citharis magis acta vatum.
Te muta quamvis saxa sonantibus
Verbis loquuntur, queis inopum bonô,
Aut uteris Signis virorum
Nobilium meritis levandis.
Sic astra jam nunc surgis ad ignea,
Virtute, felix, terraque nil Tui

Mortale præter corpus, alta
Possidet, et benefacta præter.

O D E XIV.

AD
ANDREAM LE BRUN.

Educis ictu corpora mallei,
Ceu viva, Bruni, marmoris e sinu,
Scalprique tractu prædicandi
Phidiacô Superi! vel ore.
Insigne si quod mente foves opus
Te propter artis se Genius locat,
Ipsum lacessens ad supremos,
Propitiô Tibi numine, ausûs.
Præstat labori se socium Tuo
Hic, et secundus mille juvat modis
Mentem laborantis, manusque,
Te recreans, crepitante pennâ.
Nil inde mirum si referant vetus
Decus quot effers Signa, quot erues
De rupis excisô rigentis,
Praxitelisve, Scopæve, saxô.
Hæc Galla primum, quæ Tibi patria,
Mirata gens est, maxima Romuli

Urbs inde, donec Sarmatarum
Præcipuò attonitus favore
Rex prosequutus, jungere Te suis
Tectis amavit, splendidioribus
Circum renidérent ut artis
Aucta notis, licet ante clara.
Ergo Tuarum fama perennior
Laudum vigebit marmoribus Tuis,
Et voce Sculptorum fereris
Egregius resona Magister.

ODE XV.

IN MALUM POETAM.

NOLENTE Phœbô, docta laboribus
Vanis quid urges carmina, garrule
Mævi, poetarum cachinnô
Digne, nigris salibus Sophorum?
Te Caucasus, te saxa Capharea
Pro rupe Pindi lauriferâ manent;
Pro fonte devotô Camœnis,
Agricolis data stagna ranis.
Non igne quandò vatibus insitô
Ferves, at illô corda flagrant tua,
Chimæra quem dirô triformis,
Horrificum jacit ore monstrum.

Plectrum nec illi convenit aureum
Dextræ, cicutam quæ male stridulam
Tractat per illunes, operto
Nube polò gravida imbre, noctes.
Ne summa tentes natus ad infima,
Nec, vilis ulvâ flumineâ magis,
Accede lauros ad virentes
Funereos meritus cupressos.

ODE XVI.
AD
PP. SOCIETATIS JESU.

Dente nequicquam Cynicô momordit
Ante, præsignes Animæ, sacrastis
Quos bono nostri generis labores
Impia turba:
Irriti quandò cecidere nisus
Hostium, cælô vaga dissipavit
Aura clamores, maris unda jactos
Sorbuit ignes.
Nam licet jussis mala pænitendis
Vis locum vestris Domibus nec ullum
Esse per tractûs pateretur orbis
[Flebile dictu!]

Attamen vestris miserata casûs
Cœtibus duros Cynosura risit
Læta sic, ædes alias ut Arcti
Panderet oris.
Hìc sinu quales Latii receptas
Regis Æneæ profugas phalanges
Vos manent prisca meliora laude
Mille tropæa.
Jamque Sirenis radiat ab urbe
Splendor optatæ placidus diei,
Eque Germanò similis coruscat
Phosphorus axe.
Hìc et intentâ juvenile curâ
Utiles agmen Sophiæ docetis
Quæque sunt mentis pariter, probisque
Moribus artes.
Interim plaudens operi secundo,
Vasta Rossorum ditio fatetur
Vos sibi fontes totidem repertos
Esse bonorum.
Quid forent gentes ope destitutæ
Vidimus vestrâ, gravidæ malorum
Cum pæne fractum quaterent procellæ,
Quâ patet, orbem.
Ergo quis posthac sobolem malignis
Carpet Ignatî labiis? oportet
Ille sit mentis fatuæ, geratve in
Pectore Diras.

ODE XVII.

AD
HIERONYMUM STROYNOWSKI.

Cum Te Quirini mœnibus Advenam
Suspexit, altô Tibris ab alveó,
Tollens honoratâ virentes
Fronde comas, retulit canorus
Hæc ore. Cives, quanta penatibus
Adjecta vestris nobilitat choros
Virtus, vel insigni sacratô,
Vel radiis nitidos Minervæ!
Hic quantus hospes! quanta parabitur
Auctore laus hôc Sarmatiæ nova,
Vilnensis olim cum Lycei
Rector aget bona cuncta secum!
Accepit amnis Romulidum sonos
Gens, et secundos ter crepuit Tibi
Plausûs quaterque, et se beatam
Hospitiò reputavit istô.
Totô Senatus purpureus sinu
Complexus, et Te pectoris intimis
Dilexit immensâ medullis
Laude Pius celebrandus omne
Sextus per ævum: curia, principum
Cœtus virorum cernere gestiit
Te, magne Stroynowski; Tibique
Ex animô dare signa cultus.

Septem coronant culmina quæ domos
Urbis, decoris vocibus æmula
Te civium in cœlum ferentum
Visa Tuas geminare laudes.
Quin et Camœnis dulcibus ut Themis
Severa, præstas cujus in artibus,
Conjuncta gauderet, creatus
Pastor es Arcadici vireti.

ODE XVIII.

AD
JOSEPH CONSTANTINUM BOGUSŁAWSKI.

Ruris ut Tui domum
Tenere, Te jubente, mi dederunt
Fata, comis, hospiti,
Joseph, repente compulere retro
Hæc iniqua quam mihi!
Quod Ipse jure, ni prius quid hiscam
Audias, nefas voces.
Novâ libellus hic negotiorum
Mole qua gravet vides
Tuum rudem nec hercle, nec malignum

Vatem, amore qui Tibi
Datus parum, necessitas eundem
Mox revexit ad lares,
Amoris ut Tui moras paterni
Impediret insciò
Profectus ipse Te sodale, cujus
Facta, nomen, indolem
Ad astra tollit, et decus supremum:
Parce, si putas Tibi
Tulisse me malum advenam doleres
Unde, gaudii locò.
Feram, velim reum esse me, jubebis,
Care, damna quælibet, [dullas
Modo haud neges mihi intimas me-
Pectoris, nec amplius
Memor rei, vel ominis nefasti,
Durus hoc mihi exprobres.
Procul sed ite amaror, et querelæ,
Ille vos sinu fugat,
Suo benignus et secundus usque
Supplici. Quies redit [bus
Utrique dulcis: hoc Camœna, Phœ-
Hoc et admonet pater
Favore utrosque nos suô juvantes.
Plaude quisquis auream
Amas, colis, cupis, beate, pacem.
Vos at ira quos premit
Atrox, vetusta, durior vel ære,
Nostra cernite oscula,
Tumente bile, nos simul jocemur.

ODE XIX.

AD THADDÆUM KUNDZICZ.

NATURA quidquid viribus insitis
Format tenebris abdita, machinis,
THADDAEE, sic effers apricis,
Ut nitidos mereare Soles,
Et prænitentum laude Matheseos
Laudes, et alti, non humilis sonum,
Ut hic poetæ, quem sacravi
Mentis inops Tibi, corde dives.
Doctore tantô Vilna, nec Anglicæ
Genti, nec ullis invideat suos
Vigente, felix, qui per annos
Innumeros precor oh supersit!
Quandò Sophorum tam bene consulit
Rebus, Minervæ suscitet ut choros
Non mente solum, sed profusis
Divitiis, opera ad decora.
Queis Candidatos Vilna quot educat
Curis! quibus non et studiis foves!
Ut magna virtuti per orbem
Sarmaticæ monumenta condant,
Cujus labores et decori, et bono
Tu dedicasti vix puer arduos,
Cum scanderes in culmen, alma
Gloria quod Geniis recludit

Sublime summis. Quid referam indolis
Candorem, amicô carmine, amabilem
Queis cordium conjungis omnium
Jure Tibi ingenuorum amores?
Quid Musa, quo Te condecorat, favor
Musâ canatur? talia si magis
Per seloquuntur, quàm tubarum
Si sonitu celebrentur omni?

ODE XX.

AD

SODALITIUM PHILOLOGICO-PHILOSOPHICUM VARSOVIENSE.

En vota fatis sunt rata prosperis
Tandem Sophorum Sarmatiæ. Novum
Jam sidus apparet Minervæ
Varsovicæ, inseriturque cælo.
O qui rigentes, Cœtus amabilis,
Mollis, amœnâ Pallade, frigore
Rupes, et amnes, et reducis
Vistula quâ resonat Camœnas:
Gratatur omnis jure Tibi chorus
Quicunque pendit solicitus viros
Quos multa, præcellens, et ardens
Evehit ad supera alta virtus.

Stroynowski amores qui meritus Tuos
[Ut cæterorum] est, et decus, et tubas,
Vos inter adducunt ovantem
Musa, Themis, reliqui Deorum.
Quid non, Sodales o Sophiæ, boni
Vobis ab istô profluet omnium
Doctore sermonum peritô,
Quos variò Dea fundit ore?
Quo non honoret Vistula carmine
Hunc ante Tibris quem cecinit pater,
Dignusque laudari Maronis
Qui foret, Aonidumque plectrô.

PAULI

TARENGHI ROMANI

ODARUM
LIBER TERTIUS.

ODE I.

AD
PETRUM ZAWADOWSKI.

Doctrina, virtus, gloria destinat
Quæsita factis munus ad arduum
  Te, Petre, Rossorum regendæ
    Pallados Imperium per ingens.
Hinc illa cultu divite si prius
Ornata sese prodidit, et notis
  Distincta spectandis honoris,
    Jactat opes modo Rege dignas.
Sic vota comples publica; tam bene
Mandata summi perficis aurea,
  Divis Alexandri secundis,
    Ingeniô, studiô, labore.

Te tetra visô barbaries fugit
Ut Sole nigror noctis, ut efferat
Si forte Neptunus, procellæ,
Æquoreis caput almus undis.
Quæcunque tentas inclyta perficis,
Deterret ullus nec labor Herculi
Te comparandum, Te sagaci
Consiliô similem Catoni.
Ædem serenæ pandite gloriæ
Quotquot caduci morte, superstites
Famâ vigetis, quam tuetur
Perpetuò celebranda virtus.
Sublime vestros ingreditur choros,
Carum et viris, et Numinibus caput
Majore quò celsi coruscet
Luce patens penetrale tecti
Jam nunc. Honoris scilicet igneô
Tangit vel axis sidera lûmine,
Ne dum beatum quod tenetis
Ille, licet sit in orbe, Templum.'
Qui, si canatur, Pieri, non eget
Carmen favoris [parce mihi] tui,
Nam, nomine auditô, calescit
Quisquis Appollineô igne vates
Herois. At cur, Musa procax nimis
Illum fatiges laudibus, omnium
Audire qui voces Sophorum
Vix potis est Sua, Se canentum?
Audax volatû fige modum tuo,
Et te memento grandibus infimam

Rebus levandis, nec palustrem
Posse polum volucrem tenere:
Nec, si volatu vel Jovis alitem
Vincas, ad illas pervenies plagas,
Ad quas te tendit, quas sequutus
Ipse tenet, leviore pennâ.

ODE II.

AD FERDINANDUM SERAFINOWICZ.

Fernande, posses; tot varias tenes
Linguas, Eoi litus et Hesperi
Lustrare, Massyli, Getæque
Visere pæne sinûs, viator,
Nec indigeres vocibus ullius,
Perspectæ ut essent indigenûm Tibi
Voces virorum, par et esses
Indigenô dare verba more.
Quamvis at ingens hoc pretium putem,
In majus oh! quantum evehitur tamen,
Cum Te legentem quidqid illis
.Optimum et ingeniô est, et arte
Contemplor: almos non secus ac apis
De flore succos: hinc aurea copia

D

Exornat altæ Te Minervæ
A variâ regione natæ.
Nec mente linguas condis in inclytâ
Tu gentium tantum, acta sed omnia
Complecteris quæcunque priscus,
Atque recens tulit orbis orbi:
Moresque, tempusque, et loca singula,
Ritûs, et ortûs, atque obitûs vales,
Cultûsque, doctrinasque clarò
Prodere, ut in speculô figuras
Purô tuemur. Denique splendidâ
Vel fronte multas Palladis exseris,
Felix, opes, o patriisque,
Et populis celebrande cunctis.
Ast indecorum carmen, et infimum
Hoc quale, tantæ quam male convenit
Laudi! quid ergo? sit perenne,
Sit potius monumentum amoris.

ODE III.

GRÆCIÆ PROSOPOPŒJA.

Ergo catenis barbara serviet
Constricta Thracis Græcia perfidi

Per secla? libertas inulta,
Senta situ latitabit atrò
Tot parta quondam sanguine civium?
Summi prementur tot Genii [nefas!]
Immanis ab jussu tyranni
Ferrea sub juga, pervicaci?
O cui tremendi fulminis arbitrum
Dat esse bellò Juppiter, o Deum
Factis, ALEXANDER, decoris,
Et nitida similis figurâ,
Succurre nostris casibus; advolent
Huc o jubeto jam solitæ manus
Ex hoste tam diro triumphos
Indomitis retulisse dextris.
Pallescat, illis Marte tonantibus,
Lunæque mendax Odrysiæ nitor,
Vultusque servilis catervæ
Arma, malis avibus, moventis.
Te manium supplex veterum cohors
Poscunt avorum dulce nepotibus
Solamen optantes, et ægris,
Compedibus, fore Te salutem.
Et prædicandum nomine vindicis
Priscæ Minervæ, litore quæ sata
Felix ab istò, procreavit
Mille virûm generi Sophorum.
Te qui redundant ubere divite
Agri, feraces fructibus et petunt

Lætis Potentem, temperatæ et
Sub placidô latere axis auræ.
Ast ille tantum præ reliquis sinus,
Quo Titus audis, hoc opus urgeat,
Indicit armorum fragores,
Qui miseras juvet ut phalangas,
Nil præter ardens, nil magis invidens
Olli, nec ullis laudibus indigens
Ut summus inter pacis a mæ
Otia, vel resonos ferare
Martis tumultûs vocibus omnium.
Quæ non ab armis commoda Rossicis
Speranda, si vinclis gravata
Græca voles relevare colla?
Quot non Homeri cantibus æmuli
Dicent poetæ Te mage bellicô
Splendore Pelidâ nitentem,
Nestore et ingenii sagacis?
Quæ non Platonis vel schola maximi
Æquans honores condiderit Tuæ
Præclara doctrinæ tropæa,
O Sophiæ venerande cultor?
Quid plura? cæca nocte reconditi
Per te fruemur, fulgide, lumine,
Mutique nunc, olim canemus
Tergeminis benefacta linguis
Tam magna. Quin et victor, ut antea,
Sudabit in certamine Olympicus,

Tibi sacrandas quò reportet
Innumeris cumulande, palmas.
Quod te manebit supplicium, trucis,
Trax o, tenebris edite Tartari,
Olim, latronis more, terræ,
Nomine tam celebri, potite?
Hæc pæna, quamvis nulla sat impio,
Qui te furori quodlibet ad scelus
Impellit ingentem figuret
Parva, sinu tamen orta Grajô.
Esto cadaver vulturis et lupi
Rostro, nefandis dentibus et patens,
Qui ni vorarint ossa, Ditis
A face terribilis vorentur.

ODE IV.

AD ADAMUM CZARTORYSKI.

Quisquis sileto: nobile proferam,
Adame, nomen versibus integris,
Et facta, mortalis, beatos
Queis similas, celebrande, Divos.
At qua novarum languet imagine
Visa Camœnæ spiritus igneæ

Laudum? quis ausûs incitatos
Ingenii Genius retardat?
Hic parce lætis obvius intonat
Pennis volatû, desine carminis
Sperare sublimis canore
Posse decus cecinisse 'summum.
Huc verte felix lumina. Dì sinus
Quis mi patescit conditus omnibus!
Cui tanta virtuti supellex
Quam stupidus tueor paratur?
Hac parte lauri frondibus additæ
Myrti virescunt, hac rosa, lilium
Rident, et exhalant odores
Malobathrum, crocus, atque amo-
Has bina surgunt inter opes agri [mum.
Felicis aurô Signa micantia
De purô, et effert hoc coronam
Atque tubam admovet hoc sono:
Ori verendo: Signum adamantinum [ram
His et locatur proximum, amabili
Quod Te figurâ quis referre
Indole, mente, neget, decorâ?
Utrunque plaudens has sibi dividit
Voces. Virens hæc o Tibi Laurea
Sacretur, æternos honores,
Promerite, et decoris tropæa:
Te clangor hujus personet et Tubæ,
ADAME, Solis quâ revehunt equi,

Et qua diem fessi recondunt,
Asiâ, ad Hyperboreas, ab orâ:
Hoc Sarmatarum, Rossiadum hoc notat
Gentem, hæc honoris fons (Tibi plurimi,
Ast illa mater, prole tantâ,
Creta Jovis veluti, triumphans.
Longe sed urbes se reserant duæ
Quas Neva lambit, Vilia et alluit,
Et cantibus famam Tuorum
Utraque fert meritorum ad astra,
Curante quantum Te vigeat magis
Ac ante Vilnæ Pallas in oppidò,
Externa qua tractes sagaci
Mente negotia prædicantes
In urbe Petrô condita maximô.
Spectacla quæ dum lumine perlego
Tam digna,' tam cordi beando
Apta, rapit Genius per axem
Me vix putantem talia cernere,
Tollitque ridens culmen in arduum
Immensa terrarum recludens
Litora sideribus propinquum;
Monstratque quo Te Gallica, et Itala,
Germana gens et suspiciant adhuc
Et mentis, et frontis stupore
Dum recolunt sua Te videntem
Honoris altis oppida præditum
Insignibus, seu quæ parit optimum

Pectus, vel externum figurant
Interius pretium virorum.
Contemplor at dum tanta, sonantibus
Se condit alis heu Genius æthere,
Et me volentem plura linquit
Conspicere, et dare verba, terris.
Tunc languor artus, et tenuit stupor
Ignavus, et tunc viribus imparem
Novi canendo me Camœnæ
Ingenió Tua facta parvó.
Hinc parcito [namque hoc precor] ausibus
Non auspicatis, et memorans sinum
Pro Te vigentem, oblivioni
Carmina des male structa vatis,
Qui si potitus pectore gaudeat,
Adame, quo Tu jungeris omnibus,
Ardebit, infelix poetæ [scit.
Quantum opus hoc prope Te rige-

ODE V.

AD
IGNATIUM POTOCKI.

Non ulla laudum laudibus omnium
Sacretur aucto nobilibus Viro;

Splendore germanô coruscans,
Indiget haud leviore virtus.
Esto Tuarum maxima gloria
Hæc, o decori lampade prænitens
Honoris, IGNATI verende,
Moribus, ingeniò, Minervâ
Pulaviani Te tenet otium
Ruris, salubris flamina ubi ætheris
Spirant, et omni picta flore
Terra nitet, trepidantque rivi,
Et murmuranti Vistula flumine
Mordet propinquos ubere fertiles
Tractûs agrorum, magna et artis
Eximiæ monumenta surgunt.
Hic Tusculanò Tullius ut solo
Præsignis audis dogmata conditus
Abstrusa doctrinæ, loquentis
A Sophiæ rigidò ore nata.
Hic ceu Platonis per nemoris latens
Umbras, acutis viribus ingenî
Educta producis quietis
Dicta penetralibus Sophorum
Audita raro ex agmine, pervia
Raris virorum cœtibus, et novi
Priscique commendanda secli
Pallados inter opes supremæ
Fortuna risit quàm mihi prospera!
Illic morantem noscere cum dedit

Te tam benignum, deque nostrâ
Tam meritum immeritâ Camœnâ.
Illic videnti sum mihi cernere
Heroa visus Te vel imagine
Præcelsum ab ipsâ, nec fefellit
Hoc tacitè mea mens putantem
Linguâ pependi lætus ubi a Tuâ,
Hausique labris flumen ab aureis
Manans amicæ Suadæ, et imi
Vix animi patuere sensus.
Vultu remotus qualia sed Tuo
Sum damna passus! qualibus obrutus
Hac luce privatus tenebris
Delitui miser heu poeta!
Ut ille mentis concidit impetus,
Quo concitabar Te prope ad æthera!
Tantum calebat pectus igne,
Qui Sophiæ fovet usque alumnos.
Spes at fruendi rursus amabili
Consortiô, quo me recreas levat
Mœstum, laborans, et gravatum
Solicitudinibus cor absens:
Hæc et lacessit carmen ad arduum
Me concinendum, nec patitur Tuum
Nomenque, laudes et tacere
Laudibus haud aliis egentes

ODE VI.

AD
JOSEPH MICKIEWICZ.

ME laude dignum? me facili putas
Penna volatum tollere ad æthera
  Vatem? nec indignum Sophorum
    Nomine? nec studiis Suadæ
Parvum quid ausum? Desine gloriæ
Tantum superbæ non merito dare,
  JOSEPH, et album nigricanti,
    O nimium bone mi, colorem
Miscere noli, non sat idoneo
Tot ferre laudum pondus, ut infimis
  Natura rebus quem creavit
    Provida, non superis tenendis.
Te quanta circum copia Palladis
Affusa clarat! queis decoris notis
  Ornatus incedis Magister
    Tu Sophiæ varias per arces!
Quot fama nomen quò celebret Tuum
Inflat ingenti proh Superi! tubas
  Sonore Persis audiendô
    Litoribus, Lybicis, Iberis.
Majore quantum lumine fulgidum
Per Te Lyceum; Vilna quod obtinet

Assurgit! auctum machinis, quæ
Difficilem expediant Mathesin.
Quæ non honoris denique maxima
Te signa sacrum nobilitant Ducem!
Templis ut æque sidus ardens,
Pallados et rutiles cohorti.
Rex o Deorum supplicis audias
Votum poetæ: colligat uberes
Hæc tanta virtus fac bonorum
Incolumisque, vigensque, fructûs.
Et nostra quandò carmina vix queunt
Exilis illam vocis honoribus
Cantare, tu surgat jubeto
Qui resonô tonet ore vates.
Hic facta dignis versibus exprimat
Dignanda Divûm laudibus, et virûm,
Incendat et mentes inertum
Par ad opus, meliore plectrô.
Ast ipse ni Te carmine concinem,
Impar ut, altô, saltem humili colam
Contentus affectu, Tibique
Omnia percupiam secunda
Quæcunque vitæ curriculum exhibet
Ingrata multis, grataque [quis neget?]
Eventa paucis, et dierum
Millia mille precer Camœnis.

ODE VII.

AD

SIMONEM MALEWSKI.

QUOD reddam meritis officium Tuis
Par, SIMON? Charis aut quæ Charitem que-
Hanc æquare Latinos [at
Ævi qua mihi commodas
Scriptores veteris, munditie, notis
Spectandos, pretiò sed magis intimò,
Quod menti parat amplam
Pascendæ segetem meæ?
Præstet dulcisonò carmine dicere
Te dignum [Charitum, atque officii locò]
Doctæ laude severà
Prolis quam Themis educat.
Factò quam sociis præstet ab unicô
Collegisse bonus sis, facilis, Tuis,
Præbens Te mihi Vilnam
Talem vix novus attigi!
Credas non adeo signa vel aurea,
Non tantum tabulæ quas Latium tulit,
Aut nummi vetus, hæc quàm
Librorum series beat
Hoc pectus. Fruor ast hoc ego qui bonô
Te semper recolam, Pallados et canam

Fautorem usque, nec unum
Pro Te carmen erit satis,
Qui me multigenis sæpe favoribus
Ornas, materiem porrigis et novam
Laudum, care, Camœnæ
Huic nostræ tenui licet.
Istis interea vocibus utere
Integris animi, fœdere jungitur
Æternô Tibi, quique
Factis hoc utinam probet!

ODE VIII.

AD
HIERONYMUM STROYNOWSKI.

Ille Stroynowski meritâ triumphat
Laude, qui vitam similis Deorum
Moribus, degens, operosus orbis
Utile curat.
Corde qui præstat generosus, altâ
Mente qui pollet, facilique, cunctis
Infimis, summis hominum benignus
Indole gaudet:
Qui tibi parcens, inimice, quisquis
Es, fores quamvis capitalis, oh queis

Nexibus caris religari amoris
Pandit amicis!
Cujus in lætis animus, manetque
Æquus in rebus dubiis, et arctis,
Cujus et nullò facies serena
Crimine pallet.
Hic meas laudes sibi vindicabit
Jure, quo tandem meritò futuræ
Cunque sint dignæ nihil allaborans
Scire poeta
Candidus, non et capiendus aurô,
Gratiam captans hominum nec ullam
Callidus, vero sacer, et canendæ
Carmine genti.
Angue vel dirò cane pejus odi
Hoc genus vatum, pretiò quod actum;
Aut [nefas!] magni cupidum favoris
Quælibet audet.

ODE IX.

AD MATREM SUAM.

Filius.

RESPONDE, Genitrix, tuj,
Sacrô quæ tumulò conderis incita

Nati vocibus, in quibus
  Verseris radians ætheris arcibus?

Mater.

Hæc, fili, statio mihi est,
  Quam dicunt hòmines nomine lacteam,
Cunctis lucidior poli,
  Quin et multiplici ex parte beatior.

Filius.

Quid te solicitam tenet?
  [Si cœli anxietas ulla plagas habet.]
Vel quid præcipuè cupis? ris.]
  [Si desiderium ullum est Superûm cho-

Mater.

Anceps solicitor tuæ
  Vitæ curriculum num bene compleas,
Optarem mihi proximus
  Has axis coleres incolumis domos.

Filius.

Cur de hoc ambigis, optima,
  Cum te præproperis passibus insequar
Natus, corpore qui fruor
  Per te, sed mage quàm moribus aureis

Mater.

Quid si te malus urgeat
  Audentem Genius talia? quid foret
Istis si [Deus abnuat!]
  Divulsus gemeres, lux mea, brachiis?

ODE X.

AD GALLOS.

VICIT Relligio, plaudite, plaudite,
Gentes quot regio Gallica continet:
Vinclis impietas stringitur æneis
  Tristis: quam prius insolens!
Infandis profugæ criminibus Fides,
Et Spes, et rutilò lumine Caritas
Vestris litoribus, jam reduces novis
  Exsultant decoris notis.
Concordes populi, cernimus, intonant
Te, nuper tenebris quam dederat scelus,
Orbi magnanimùm, Gallia, pectorum,
  Divorum et genitrix polo.
Hæc reddit mage victoria nobilem
Te, quàm si cumules millia millibūs
Palmarum, et veteri concitus odiò
  Anglus si tibi serviat:

Quandò non hominum sanguine sordida
Victrix talis ovat, moribus at piis,
Et cultu superum qui tibi debitus
Oris, pectoris et, Pater.

O D E XI.

AD
ANNAM MOSTOWSKA.

CARMEN ut Sappho, tabulam figurâs,
ANNA; tam vivô simulas colore
Vera, sic ornas, variâs, magistrâ
Arte, manuque.
Pictor hanc spectet celeber, putabit
Tale de summis opus exiisse
[Quis neget, visâ, licet artis expers?]
Arte peritis.
At Tui non hunc reserant honorem
Ingenî tantum, decus urbis, ausus
Grande Vilnensis, pretium fit ingens
Et Tibi Pallas,
Quæ Tuæ formæ similis decore
Proximam curâ facit esse mente
Sedulâ matris sibi Te, Tibique
Semper adhæret,

Sive moliris Genii volatûs
Liberi pennâ, Sophiæ severis
Sive contendis studiis merere
Nomen in ævum.
Quid? quod Europæ gravidas videnti,
Quot patent, urbes opibus Sophorum,
Quisque deberi Tibi judicavit.
Millia doctus
Laudum, et æternis cecinit Camœnæ
Cantibus dignam, viridique laurò,
Eque [Te tantum stupuit] nitenti
Marmore signò.
Nôn loquor vates nova, nec dolosis
Blandior dictis, refero sed omnis
Quæ refert cœtus: taceam? tacebunt
Quælibet ora.
Feminis instar genere, atque avitâ
Laude præclaris es honoris, ortu
Unde [quod præstat magis], et decorò
Lumine mentis.
Sarmatis magnos parat hinc triumphos
Ora virtutum cumulo Tuarum
Posteris, qui Te recolent, Athenæ
Quale Minervam.
Lustra sed centum prius oh! beatæ
Defluant vitæ Tibi, deprecamur
Supplici Divos, Tua quotquot, ore
Facta tuemur:

Quique Te cultu veneramur omni,
Et Deam nondum nisi prædicamus,
A Tuó præstans nimis impedimur,
Anna, pudore.
Interim hac tot perfruitor bonorum
Copiâ: quidnam cupiam ipse majus,
Quàm parem tantis fieri canendis
Laudibus olim?

ODE XII.

IN FORTUNAM.

Bona ridet cui Fortuna parumper,
Caveat, fallit enim, nec bona durat
Dea persæpe, sed aversa rotatur, nimis an-
Mare sicut placidâ nunc facie stat, [ceps:
Tumidis nunc agitur varium undis,
Modò se, Luna velut nubibus abdens, mo-
[do tollens.
Quot imago instabilis decipit ista!
Rota quot non tulit hæc hercle ruinam!
Veteres consule fastos, legito vel quo-
[que nostros,
Nihil hôc intuearis mage clarum,
Nihil et certius, o quisquis es illam
Solitus ferre gravem nunquam, at ami-
[cam tibi habere.

ODE XIII.
IN RUS.

Quis me deliciis qui potior Tuis
Spiret, Rus, inito vere, beatior?
Felix Elysiorum,
O Rus, effigie beans.
Hic flores varii graminibus nitent
Immixti, viridi tegmine pampinus
Arcet spicula Solis
Hic, et lene strepens latex
Crystalli radiis par nitidi fugit,
Vernant et modulis dulcisonis aves,
Auras et ciet aër
Pennis integer aureis.
Hic somnus placidâ fulget imagine,
Germanæque vigent et choreæ, et joci,
Amotâque triumphat
Curarum candida Pax manu.

ODE XIV.
AD FRANCISCUM MILIKONT NARWOYSZ.

Italæ genti data Pallas, omni
Ingenî donat meritò canendum

Sarmatis, plaudas tibi, Pallas, auctum et
Laude Sodalem.
Senties quanto potiare dono,
Urgeat tortos opus ut Mathesis
Explicet nexùs, iter et recludat
Sentibus horrens.
Ausa tentavit quot adhuc honorâ
Mente, tot factis tenuit superbis;
Arduum est Olli nihil, expeditque
Omnia curis.
Vistulæ limphis Padus amne lætô
Consonat, FRANCISCE, Tibi dicatum et
Efferant altè geminò audiendum
Carmen ab orbe
Debitum tanto gemini triumpho,
Teque conjuncto recinit canore
Mota concentu fluviorum amicô
Turba Sophorum.
Cui nimis jungo modulos poeta
Impares, parvâ solitus cicutâ
Ludere, et vix altisonâ per annum
Voce tonare.
Ast amor magnis opibus redundans
Sistitur, non hæc tenuis Camœna
Ante Te: versus nihil oh! moreris,
Pectus at imum.

ODE XV.

AD

MARTINUM KOCHAŃSKI.

JAM, MARTINE, nimis diu
Ruris Te retinent otia amabilis,
Jam desiderio nimis
Consumi, socii, cogimur, o Tui.
Maturè redeas, bone,
Quo Te vota vocant hæc mea fervida
Quò vocesque sodalium
Invitant resonæ sollicitè procul.
Lucem redde, precor, lari,
Qui squalet Domini nunc sine lumine;
Hæret proxima quæ Tuæ,
[Affectu puri pectoris intimô
Jungor non secus ac Tibi],
Ædi deproperа lætitiam meæ.
Ast, huc ut citius petas,
Nolo consequitur quod reliquum scias.

O D E XVI.

PULAVIARUM PROSOPOPOEJA.

VIRTUS ætheriis clarior ignibus,
Morumque integritas, votaque gentium
Ornavere novis nomen honoribus,
Nostri non decus Arbitri.
Nam quis non decoris noverit ultimas
Illum consilio, rebus et inclytis
Metas? quis variæ quodque negaverit
Culmen tangere gloriæ?
O mens AUSTRIACI CAESARIS! o bene
Consultum populis, talibus additis
Armorum Ducibus viribus Imperi!
O signande notâ dies
Albâ, qui veteris lumina seculi
Orbi restituis, reddis et alterum
Terris Fabricium, vel Curium bonos
Æque militiæ, et domi.
Non tantum patrii quilibet angulus
Gestit lætitiâ litoris, et laris,
Quævis at regio PRINCIPIS OPTIMI
Laudes ingeminat volens,
Et summô rècinit munere Numinum
IPSUMQUE, et SOBOLEM, et CONJUGEM ama-
Affulsisse polo Sarmatiæ, graves [bilem
Quò luctus abeant retro.

Lauris, et Pario præcipe marmori
Ictus egregium quisquis amas Ducem;
[Ast ecquis Superûm non amet omnium
Curam, et delicium virûm?]
Illæ perpetuum tempus in ambitum
Conclusæ referant, et meritas comas
Cingant, effigiem hoc Illius exprimat,
Signum ut Phidiacum, Jovem.
At dum nos hilari prosequimur chorô,
Et lætis Dominum dicimus, et Patrem
Illum carminibus, Pieris, et Charis
Nostris vocibus adsonent.
Regum progenies, vive diu tuis,
Et vivas aliis dùm Tua computet
Annos Nestoreos vita, salubribus
Auctos viribus, et bonis.
Extremisque Tuum nomen, ADAM, sonans
Terris, attonitis auribus hauriat
Quidquid terrigenûm est, Hellas ut Hercu-
Ut nati Latium Iliæ. [lis,

O D E XVII.

IN SUOS ADVERSARIOS.

NON me fugabis quisquis acinace
Musis potentem magna lacesseris;

Non, more si pugnes Gigantum,
Arce Jovis potiere rupe
Jactâ: nec atris Cacus ut ignibus,
Si ferre demens exitium Herculi
Ex ore conjectis labores
Perdere me poteris tremendô,
Est cura Phœbo, Mercurio mei est
Tutela summô credita Numinum
A Patre, nec quisquam Deorum
Fac sit opus mihi denegabit
Vires iniquus, queis juver, et quibus
Frangaris audax. Crede periculi
Est quidquid experto, malorum et
Agmen atrox sine labe vati.

ODE XVIII.

IN PACEM.

Pax redit, paci studeamus omnes
Cura quos tangit, decus et Minervæ,
Spes et adspectus Cereris per agros
Urget amici:
Intimis et qui fruitur medullis
Prole felici thalami beati,

Quique laudandô cupiunt tueri
Parta labore.
Arma non unquam reboent tremenda
Martis, aut unquam, Superis iniquis,
Si tonent, Paci tonitru juvandæ
Serviat almæ.
Diva, mortali generi bonorum
Fons, et adducens animis quietem
Totius multâ prece mota regnes
Orbis in orbe.

O D E XIX.

AD ANDREAM SNIADECKI.

Naturae decus intimis
Inclusum latebris, nocteque conditum
Cæca, luminibus novis,
Andrea, retegis, qui subigis Tuo
Abstrusum ingenio sinum
Illius, minimas nec pateris sagax
Elabi ex oculis notas.
Hinc Te præcipuis ornat honoribus
Vilnæ sedibus addita
Pallas, Palladis et quæ bona maximis

Terræ didita per plagas
  Lætatur meritò turba favoribus.
At quàm gloria tollitur
  In majus, Tua si scripta quis optimus
Intentis animi legat
  Doctus viribus, et noverit integer
Illorum grave pendere
  Pondus, nec pretium nesciat aureum!
Nascantur similes Tui
  Fac tres Sarmaticis litoribus Sophi,
Quis morbos doleat virûm?
  Quis non se Sophiâ divite prædicet
Salvum? Gallia fac parem
  Mentem, vel teneat nobilis Anglia,
Quàm [nec vana fides] reor
  Lucebunt facibus splendidioribus!
Quamvis illa superbiat,
  Atque hæc eximii laudibus ingenî.

ODE XX.

AD AMICUM.

Corde dejectus, facieque teter
Ante qui ridens, hilaris, vigensque
Mæsta vel dicto solitus levare es,
  Pectora, Fusce,

Cur jaces? Illis nebulas relinque
Mentis, et vultus inopum catervis,
Quas fames, frigus cruciat, vel ægris
Artubus horrent;
Quasque non ullâ juvat arte Pallas:
Deditum sed te studiis Sophorum
Dedecent luctus, opibusque cœlô;
Omnibus auctum.
Ast quid hoc mirer, tibi si nec ulli
Nostra dum vinclis animi tenentur
Corporum, Parcæ dederunt ab omni
Parte beari?

ODE XXI.

AD THOMAM ŻYCKI.

Non una Życki palma, nec unicum
Debetur altæ nobile gloriæ
Signum Tibi, qui tot bonorum
Sarmaticæ properas Minervæ.
Curis juventus quæ regitur Tuis
Testis paternis, testis et aurea
Quæsita librorum supellex,
Docte, Tuis opibus, Magister,

Et qua Mathesis vulgus inutile
Contemnis, et quo Te genius vehis
Ad summa, non dignus jacere
Ore solô, sed aperta cœli
Tenere felix spiritus igneis
Adjunctus astris. Cætera quid loquar?
Queis moribus? vel quo corusces
Lumine? vel quibus Ipse factis
Mortalis haud mortalia cogites?
An Vilna quoquam Te mage gaudeat?
Num quis Tuos noscens honores
Eximios, aliena quærat?
Laudi sed esto tam variæ modus,
Quandò vel dictô plurima concinunt
Cuncti potentem Te canentes
Ingeniò, meritisque, vates.

ODE XXII.

AD PHOEBUM.

Si sonum nostræ, pater o, Camœnæ,
Phœbe, non nihili facient per orbem
Quot vigent cœtus tibi dedicati,
Si levis unquam
Erigar cœlo, nihil invidebo
Diviti gazas, ducibus triumphos,

Quidquid et præter celebris decorum est
Carmina vatis.

ODE XXIII.

AD
AUGUSTUM LUDOVICUM BECU.

Ut navis auri pondera quam gravant,
Et bacca Nerei plurima Serici,
Gemmæque Persarum, suppellex
Et nitidæ pretiosa mercis,
Urbis relictos ingrediens sinùs
Rursus paternæ, civibus ingerit
Et gaudium, almæ faustitatis
Omen et insolitum reportat
Sic Tu Lyceo redditus aureo,
Auguste, Vilnæ nobile post iter
Confectum, et adspectu beatum!
Nobilium Sophiâ virorum,
Ad hoc reducis lætitiam, et decus
Ingens, receptâ quod veluti parens
Exsultat ab oris amatâ
Prole diu patriis remotâ,
Te restitutò. Dent Superi frui
Illis in ævum, Vilna, tibi bonis

Queis dives, inspectâ Minervâ,
Te cumulat, variâ, per orbem!

ODE XXIV.

AD SEVERINUM POTOCKI.

Dum Te Petropolis Patrum
Summo concilio concinit additum
Sidus sideribus novum,
Potocki, reboant litora dum Tuis
Magnis Rossica laudibus,
Exsurgens mediô Carcoviæ sinu
Hos Pallas Tibi dat sonos.
Nostris a puerô exercite in artibus,
Perrarum decus obtinens
Nunc divæ Sophiæ sedibus in sacris,
Rebus quàm bene consulis
Hujus Palladiis inclytus oppidi
Curator celebris Scholæ!
Ornor si spoliis hîc ego splendidis,
Ceu regina sedens thronô,
Si ditor pretiis omnibus, et bonis
Hîc si perfruor aureis,

Si palmas maneo non numerabiles,
Atque insignia gloriæ
Majora, atque alias, atque alias opes
Vix nascens adeo nitens,
Hæc et consiliis, et tribuo Tuis
Magnâ ex parte laboribus,
Qui curas vigili lumine, et intimô
Quidquid fit mihi pectore
Laudis fons variæ, fons varii utilis.
Me vix Græcia pristinis
Vidit temporibus tollere verticem
Quamvis ex humili solô,
Adspexit superis arcibus attamen
Æqualem capite aëris
Sublatô, inque dies quàm mage fulgidô!
Ergo si levibus levem
Hinc pennis oriens tollor ad æthera,
Olim nonne Jovis volans
Summi vel solium fas erit occupem
Imis edita de plagis
Telluris, cerebro ex illius edita?
Pubes optima 'plaudito
Tam de me merito, deque choris Viro
Vestris, et Superis pari
Servans Carcoviam Pallade splendidam;
Hæc urbs quandoquidem omnia
Hujus solicitum commôda sufficit
Vobis ob studium Patris:

Tuque, o Melpomene, ne cohibe tubas
Ut tantum celebres decus;
Nec quisquis decoris percupidus mei est
Huc o ferre pedem neget,
Quò quodcunque cano conspiciat suis
Verum luminibus patens.
Ast ecquid memorem plura? sagacibus
Si tot nisibus ingenî
Pro me, totque sinus robore perficis
Custos facta bonus mei,
Quot non ipsa potest dicere Pallados
Vox, aut Pieridum novem,
Aut Phœbus citharâ si sonet aureâ.
Mitem si tepidô colant
Mortales positi Pallada sub polô
Quid mirum? hoc opus, et labor
Hic est, ut glacies illa sibi, et nives
Pandat per medias iter
Ad cœlum, et teneat denique sidera.

ODE XXV.
AD
FERDINANDUM SPITZNAGEL.

Ut Vilnæ tenui lares,
Tu, Fernande, sinu me prior omnibus

Complexus, pater, intimò,
Ceu caram sobolem, corda laboribus
Juvisti alloquiis mea,
Et curis gravibus fessa salubribus.
Hinc, artis medicæ, decus,
A morbis relevas languida corpora,
Rara non sine gloriâ,
Et verbis recreas pectora mollibus.
Tanto quas referam Viro
Grates, Pierides, dicite pro suis
In vatem meritis bonæ?
His impar, hominum millia deprecor
Hic, si forte [meis Deus
Hoc omen precibus dissipet annuens]
Linguis indigeat, sui
Ergo repperiat mille levaminis,
Aut si vel jaceat semel
Æger, mille juvent Hippocratis manus.

ODE XXVI.

IN QUIETEM.

O PARTA paucis blanda quies redi
Non insolenti pectore te frui

Paulo, nec assueto furente
Perdere te Eumenidum furore.
Reddas labanti robora, suscites
Afflicta morbô lumina quàm gravi!
Mentemque restaures petitam
Innumeris, mea Diva, curis.
Sis portus atris per mare fluctibus
Pulso poetæ, sis Zephyrus levis,
Quo flante, nubes dissipentur
Ignibus, et gravidæ procellis.

ODE XXVII.

AD
ISABELLAM CZARTORYSKI.

PRINCIPIS Conjux Ducis, et beantis
Rossicæ Mater Sobolis Potentem
Gentis, et quavis melior putatur
Inclyta laude,
Quis neget Floram, Triviam referre
Palladem et blandô Pulavy sub axe
Te, tribus si quàm reputet feraris
Proxima Divis
Namque fac lætum veniant in hortum,
Quem tenes illic, redeunte vere,

Viderint quicunque soli colores
Mille benigni,
Nonne concordi fateantur ore
Hic Deæ regnum positum vigentis
Inter et Tempe segetes, et inter
Arva Tarenti?
Teque, cui crescunt violæ, rosæque,
Lilium, ligustrum, anemone, anethum,
Omnis et florum manus, et virentum
Frondium honores,
Esse quæ campos variis colorat
Floribus Divam, media sedentem
In plagâ cunctis opibus refertâ
Quas parit illa?
Sive quod servas penetrale cernant
Artium clarum ingenuarum honore,
Nonne Te dicent Triviam serenâ
Luce nitentem?
Nam velut cœlum radiat Dianâ
Sic per Te tanti rutilant penates,
Quos tegunt nullæ nebulæ tegentes
Æthera sæpe
Nonne Te doctæ similem Minervæ
Concinent, si Te videant in illis
Deditam Divæ studiis amicæ
Mentibus altis?
Unde si verum simulans vetustas
Abdidit rerum tribus hisce Divis

Mente confictis, pretium Dearum hoc
Una figuras
Gentibus, præstans ISABELLA, quamquam
Sponte felici latitas in arvô,
Pallas, et ternô quod amant Diana,
Floraque nexu:
Quod viatori bona cuncta vati
Protulit Vilnæ mihi, quum Lyceum
Inclytæ, Romà peterem relictâ,
Non sine Divis:
Quodque doctrinæ facîbus nitenti
Se viro semper reserabit almæ,
Orta quæ terræ variis ab oris
Maxima sese
Prodat externis populis, et ingens
Noverint pondus facere hi, nec ullum
Negligant semen Sophiæ colendis
Ruribus aptum.
Tu dies, oro, memores beatos,
Queis frui mensis dederunt iisdem
Sortis arcanæ retegenda nulli
Vela virorum.
Hac mihi parces prece, si superbus
Hoc tibi carmen volui sacrare,
Digna quæ summi recinare vatis
Femina plectrô
Ipse non audax, bona sed poetam
Reddit audacem Charis, et secundum

Sidus, et grandis favor, et potentis
Conjugis ædes
Visa quæ nostræ veluti Thaliæ est
Attali qualis, potius vel almi
Commodo Divum fabricata Patris.
Tanta coruscat!
Hæc refer cunctis hominum, Deûmque,
Musa, quò Divi atque homines in unum
Feminam, an Divam? celebrent supremâ
Laude decoram.

ODE XXVIII.

AD
STEPHANUM STUBIELEWICZ.

Doctorum ingrederis chorum
Vilnensis Sophiæ, Stephane, prædite
Laudum quàm variis notis!
Quantis ingenii sensibus inclyte
Summi! quàm Superis bonis!
Vilna cuncta sibi prospera spondeat
A Te Pallas in aureâ.
Te quotquot juvenes promere conditam
Doctrinam accipient sinu,

Dicent, eloquii flumine, proximum
Nevtoni meritis virum.
Quod si serta Tui nominis exprimunt
Magni, STEPHANE, literæ,
Hoc fit quòd capiti debita sit Tuo
Pro factis laurea maximis
Nunquam, curriculô temporis, arida.

ODE XXIX.

AD

HIERONYMUM STROYNOWSKI.

DUM vivimus queis non premimur malis
Devota Clotho pectora ferreæ,
De more, STROYNOWSKI, caduci
Vespere, mane brevi vigentes,
Floris rosarum? Qualibet horridâ
Terremur atræ mortis imagine
Ex parte, nec fas imminentis
Est homini fugere ausa lethi.
Si quis amœnum rus amet, otia
Perturbat anguis, vel fera, agrestia;
Aut grandinis vastantis almas
Impetus heu! segetes ruentis,

Vel si quis aurâ gaudeat urbium
Addictus aulæ, deditus artibus
Queiscunque, centum nonne sortis
Objicitur jaculis iniquæ?
Hunc dente livor perfidus allatrat
Persæpe, vis et persequitur furens,
Fallacis aut fertur decoris
Fabula compedibus revinctus;
Morbosve sanô hic corpore contrahit
Immixtus ægris agminibus, timet
Vel dives auri ne talenta
Surripiant tacita arma furis;
Aut destitutus stramine in horridô,
Aurô, recumbit sordibus, et fame
Squalet malorum caussa tot quæ
Innumeris solet esse terris.
Vix matris alvô educimur, uvidi
Fletu mademus, pectora non secus
Præsaga gestantes iniqui ac
Temporis, et vicium manentum
Nostras cohortes undique tristium
Jucunditati vix tenui datas
Orbi fruendæ, quippe curæ
Gaudia præpediunt atroces.
Quid cum juventus fervida nos rotat
Pensamus acres? Illa revolvitur
Eductus ut fumus caminis,
Ut Zephyrô nebulæ fugaces;

At nos secundô credimus æthere
Ferri tenebris quamlibet abditi
 Ô cæcitatis monstra! cæcis
  O latebris meritò creati!
At cum senectus nos gravat arida
Nil possumus, nil hercle lacessimus
 Magni, quiete tantum inerti
  Et sonitus modulo beati
Oris loquacis. Quid mage spondeat
Securius nauta, aut sibi strenuus
 Miles, vel indutis tyrannus
  Regificis spoliis, opimus?
O vita cunctis passibus avia,
Qua voce, quo te nomine prædicem
 Albam, vel atram, vel juvando
  Aptam hominum generi, aut ineptam?
Ah vive tantis, vita, precor tibi
Nil corporis, nil atque habeas sinus
 Inanis hujus, quàm sepulcri,
  Et resonæ, malefida, pompam
Famæ: quid ægrum solicitas magis?
Est, crede, summis addita mentibus
 Virtus, et anceps quod revelat
  Curriculum rationis usus.

ODE XXX.

AD
JOSEPH FRANK.

O PATRIS referens ingenium, et decus,
JOSEPH, egregium seu medicam doces
Artem, corporibus pharmaca seu paras
Quæ morbi violens opprimat impetus:
Quis Te principibus non canat æmulum,
Æqualem aut potius laude medentibus
Insigni, recolat quanta peregeris
Inter si celebres Italiæ Sophos,
Germanosque, et agas quanta sub æthere
Doctor Sarmaticô nobilis? O meam
Mentem tam variis laudibus attonans,
Vatis vive memor, qui Tibi præcinit
Æternique tubas nominis, et Scholæ
Vilnensis meritis par pretium Tuis.
Annos interea, digne, tot exigas
Quot curas aliis, Pallade strenuâ.

PAULI
TARENGHI ROMANI
ODARUM
LIBER QVARTUS.

ODE I.
AD
JOANNEM
KORWIN KOSSAKOWSKI.

MUTIS omnia comparas,
JOANNES, hominum commoda cœtibus,
Ut gestu facili queant
Oris quod nequeunt promere vocibus:
Hinc vel non resonæ sonant
Te linguæ tacitis carminibus Patrem,
Gentes dum Tua cæteræ
Extollunt labiis facta sonantîbus.
Laudi nam quis erit modus
Qua Vilnæ properas Chrîstiadum gregi
Antistes bona quælibet,

Et qua non rutilæ Te decus infulæ
Clarat, sed nitet illius
Per Te grande decus splendidius magis?
Qua non Roma tubâ canat
Te, quondam memorans se laribus suis
Cepisse egregium hospitem,
Et qua Te reputans mente probaveris
Summum, moribus et Virum?
Urbes aut tribuant non aliæ Tibi
Quæ præconia maxima,
Illas sive brevi forte bees morâ,
Seu famam accipiant Tuam,
Penis quæ varios obstrepit aureis
Terrarum vaga per sinûs,
Ingenti Tua, Te murmure prædicans?
Tantâ fulgide gloriâ
Hoc parvi sinito muneris offeram
Signum pectoris integri
Æternô Tibi quod fœdere jungitur,
Audax quamlibet efferar
Insulsis hominum vocibus, et rudis,
Imus summa quòd insequar
Vates, invalidis viribus impigri
Quòd vires simulem Herculis,
Non re, sed specie blandisonâ gravis.
Quæ convicia perdere
Hæc tantum poterunt carmina. Non levi

Pennâ surgit ad æthera,
JOANNIS volucris, quam favor adjuvat.

ODE II.

AD THADDÆUM BRZOZOWSKI.

NUMINIS rarô veheris favore
Munus ad summum penitis regendæ
Mentis Ignatî studiis, et acri
Pectore prolis,
Illius, Thadæe, decus, creando et
Utili natus, fluat ut per omne
Litus, at Rossæ magis excolendæ
Serviat oræ,
Quæ videt vestris docilis Juventus
Vocibus parens, monitisque, clarâ
Laude qua morum, Sophiæque surgat
Optima curâ,
Quæque si fructûs tulit auspicatos
Sub Patrum ductu celebri priorum,
Maximos jamnunc sibi spondet, et spe
Non sine firmâ:
Quippe factorum seriem revolvit
Quot Tibi summum peperere nomen,

Et quibus turbæ sociæ decora
Fræna capessis
Inclytus, virtute potens probatâ,
Qua vales illis potiora [tantis
Viribus præstat] superas sub auras
Edere centum,
Condat in cæcis pudibunda frustra
Quamlibet sese latebris, ametque,
Rex placens cœli tibi, displicere
[Qui modus!] orbi.
Nam velut pannis laceris amicta
Regium prodit genus a micantis
Motibus vultus, sonituque dulcis
Femina linguæ,
Illa sic jactis radiis tenebras
Arcet obstantes manifesta fulgens
Infimis, summis, mediis, virorum
Didita late.
Ætheris Rector facito beati,
Hæc ut in cunctos vaga proferatur
Gentium fines, reputent et hujus
Commoda gentes,
Mille quò cernant sibi restitutum
In plagis verum decus, et benignum
Lumen Ignatì veneranda fundit
Quod manus almi,
Livor et tandem trucibus quiescat
Fessus a bellis, jaceatque tetrò,

Ære constrictus triplici, sub antro
Pectus iniquum.
At Tuis, Heros sacer, a paternis
Nutibus pendens soboles eburnô
Te sonet plectrô quoties vel hiscis,
Scriptave promis:
Cui suos primi socient poetæ
Et lyræ, et vocis modulos, triumphus
Ceu ducis prisci celebrandus altâ
Si foret Urbe.
Nostra queis audax nimium Camœna
Discat in magnis potius tacere
Quàm loqui rebus, miserumque celet
Obruta carmen..

ODE III.

AD
JOANNEM ANDREAM
LOBENWEIN.

Quæ non exsuperes juga?
Abruptum quod iter non facili teras,
JOANNES, pede, nobilis

Incedens medicæ regna per ardua
Divæ? quisve Tibi sinus
Spissis non tenebris quamlibet abditus
Vix ulli pateat patens
Quo se sæpe solet Diva recondere?
O qui tot teneas, precor,
Ægris solicitus quot bona comparas
Gaudeto: citharæ sonant
Jam Te, jam cumulant eximiis Tuum
Nomen laudibus accolæ
Seu Germania quos continet inclyta,
Seu quos Sarmatiæ plaga,
Dictis quam Sophiæ sic recreas Tuæ,
Ut multæ invideant manus
Illi terrigenûm Te medicis parem
Summis, Te magis in dies
Vilnam qui studiis nobilitas Tuis;
Ipsâ qui bonus indole,
Et candore sinus ingenui virûm
Omnes concilias Tibi
Affectûs rigeant hi licet ærei

ODE IV.

AD

SODALITIUM PHILOLOGICO-PHILOSOPHICUM VARSOVIENSE.

Devincta salve nexibus aureis,
Gens o Minervæ Varsovicæ, Tuum
Fas nomen, æternasque plectrò
Ferre mihi sit ad astra laudes.
Nam flagret ecquis non sinus ignibus,
Te cognitâ, Te mentis acumine
Sagacis expensa, canoros,
Phœbe foves quibus alme, vates?
Tu fruge cultus campus ut affluit,
Qualis redundans vinea pampinis
Lætis, inexhaustô Sophorum
Divitias gremiò profundis,
Doctæque præbes pabula Pallados
Fœcunda claris ingeniô viris,
Gaudentibus seu severæ,
Seu placidæ studiis Camœnæ.
Ast excolendis præcipue vigil,
Et vindicandis sedula literis
Addiceris, queis Sarmatarum
Gloria tam rutilat superba,

Per Te serenâ ridet imagine
Atque ausa tentat vix aliis data
Tentanda, cives et repulsò
Par ad opus resides veternô
Quæ concitat, quæ nobilior caput
Sublime tollit quàm prius, et fugans
Splendore squalentis tenebras
Barbariæ, jubar axis effert,
Testis librorum copia quæ fluit
Persæpe præstans ædibus e Tuis
Sermone, doctrinâ [quod orbis
Integer ingeminat] profundâ;
Testes et ornant qualibet e plaga
Qui, ceu Dianam sidera, Te Sophi
Intrà Tibi sacrum recepti
Pro meritis penetrale summis,
Quod quis vetustæ non canat Hellados
Dignum Lyceis? aurea quis neget
Quum laberentur secla Romæ
Ferre decus potuisse magnum?
Te fata Vilnæ quam bene proximam,
Gens o, locarunt gentibus inclytis,
Quæ jure præsefert Minervam
Sarmatiæ pariter benignam,
Quæ voce Vestris cœtibus intonat
Hymnum sonora, cui resona lyrâ
Respondet alto vos favore
Musa juvans, canit et canentem.

O vera virtus! o patriæ boni
Quid Palladis non auxiliô potes
Suffultus ardor tu serenas
Oppida, ceu levis aura, cœlum:
Sic arte mores perficis, et virûm
Aptàs adartes sic varias genus,
Ut quisque susceptô beetur
Usque sibi placitô labore.
Ergo perenni postera, deprecor,
Te faustitati tempora destinent,
Quò fausta caræ Turba felix,
Tempora Sarmatiæ rotentur.
Nunquam vel auræ mobilis halitus
Te cousulentem tot patriæ bonis
Perturbet, hostis nedum atrocis
Tela premant, furiæve perdant;
Sed pax, et almæ pacis amabiles,
Dum tanta curas hæc, genii volent
Circum, labori se neganto
Jungere nec socios amico:
Quin ipsa vires sufficiat Tibi
Conjuncta paci Pallas idoneas,
Cunctique Te cœlo Deorum
Propitiô tueantur ore.
Quæ corde vates qui precor intimô
Sat me beatum, Musa, putavero,
A Dîs preces exaudientur,
Sique meus canor hic placebit.

ODE V.

AD JOANNEM SNIADECKI.

VINDEX o Sophiæ Sarmaticæ, nigris
Quam Gallus petiit dentibus invidens
Olli quo vehitur nomen ad æthera,
Et nulli inferius decus:
Quis Te non patriæ dicat ad optimum
Tutandum placidis Numinibus bonum,
Hac, aut quis fieret quò magis inclyta
Scriptis Te neget editum?
Percurrisse poli quæ properis docent
Alis ingenii Te spatium ardui,
Terris ut radio redditus illius
Sinceram faciem exprimas;
Quæ fac Uraniæ vel soboles legat
Gallæ digna Deæ laude fatebitur
Tantæ, non citharis Pieridum modô,
Summi plausibus aut Sophi.
Tu doctum instituens per varias iter
Urbes quàm solida Pallade gaudeas
Externis reseras gentibus et quibus
Hanc ornes decoris notis:
Quod Romæ patuit mi quoque cognitô
Te, quum dicta lubens acciperem Tua,

JOANNES, resonô murmure et omnium
Voces Te canerent simul.
Gens ut Cracoviæ læta Copernico
Surgentem meritis Te videt æmulum
Præsigni eximiis! ut Tibi marmora, et
Lauros apparat integras!
Hujus quàm juvenes proficiunt Scholæ
Te Doctore boni! qua sibi patria
Cernit lætitiâ qui sua proferant
Laudum nomina crescere!
Elatus tumidis Vistula cornibus
Jactat se Tamesi conspicuum, et parum
Invidisse suis Te memorans Sophis
Inclamat licet optimis.
Mortalis tribuant Dì prece fervidâ
Vitæ longa Tibi tempora flagito,
Immortalis ovas qui studiis, nitens
Instar sideris ignei.

ODE VI.

IN OBITUM PATRIS SUI.

CARIOR vel me mihi [quis dolori
Sit modus?] nato, Genitor, nefandô

Puberi nondum raperis malignæ
Mortis ab ictu;
Linquis et spissâ caput hoc gravatum
Nube, jucundos oculisque vultûs
Subtrahis, qui nil vaga spectra præter,
Monstraque cernunt,
Et madent rubri lacrymis obortis;
Pectora at sævò velut ense figis
Ima Dirarum laceranda morsu
Tradita et ungui.
Candidi nam te didici magistrô
Quid forent mores, pietasque, virtus
Veraque exemplò pariter, probâque
Voce docente:
Unde te mentis rapidæ volatu
Ætheris sedes tueor tenentem,
Et tuo junctum Genitricis astrum
Numine lætò.
Quo parum adspectu levor, et recedunt
Horridæ sensim ex acie catervæ,
Eque flammanti nigra dissipatur
Lumine nubes;
Spes et infirmos animi salubris
Roborat sensûs rutilâ fruendi
Te poli mox in statione: gignunt
Cætera luctum:
Quippe mortale haud patitur fugari
Pondus ex omni grave parte torquens

Corda tormentum, Genitore raptô,
Prolis amatæ.
Tu dies quandò mihi festa, tuque
Sol eras; tecum scopuli vel antra
Grata, florescens meliore risu et
Campus ovabat;
Quidquid et pompæ dabat urbs nitebat
Te mihi propter, sapidæ palato
Et dapes per te fuerunt, et ori
Dulcis Jacchus.
Plura quid dicam miser? o voluntas
Numinis fac interеam, parentum et
Brachiis reddar placidâ receptus
Axis in arce.

ODE VII.

AD
PHILIPPUM NERIUM
GOLAŃSKI.

Te Tua, Golanski, si virtus maxima laudat
Cur mea Musa canat?
Mutuus ah tacitô decoris sub pectore sensa
Condere nescit amor.

Hic mihi Pieridum Te fingit monte poti-
Cingere Apollineâ [tum
Fronde caput, Phœbô, Divisque volenti-
Vatis honore frui. [bus illis
Idem Te Suadæ commonstrat regna tenen-
Flumine deque Deæ [tem,
Eloquii puros sorbentem nectaris haustûs
Et latice hoc madidum
Reginæ meritum de marmore Signa sub
Quæ ciet ore sinûs. [aulâ,
Tum qua Religio profert sua dogmata in
Scandere Te intueor, [arcem
Doctorisque sacri sic munus obire, beatis
Ut numerere choris.
Ista revelat amor mihi, quæ verissima fa-
Perficis eximiis: [ctis
Ecquis enim talem non prædicet, optime,
Carmine Te cecini. [qualem
Accipiat qui verba Tuæ præcelsa Minervæ,
Scriptave clara legat?
Quæ velut ipse Tibi, sic jungitur, et Tua
Pectora luce novâ, [clarat
Inque dies illis ornat Te prodiga donis
Quæ negat innumeris.

ODE VIII.

AD JOANNEM HENRICUM ABICHT.

Quae sit vis hominum mentibus insita,
Quas vitet ratio, quas teneat vias,
Quantum materies brutaque discrepent,
Et mundi effigies spiritus Arbitri
Vestigas acie nobilis ingenî
Joannes, varias omnium et explicas
Caussas docte modos, et Sophiæ sonos.
Quin et quæ vetus, et quæ nova protulit
Expendis studiô solicitô Schola,
Hinc de dogmatibus judicium grave
Utrarumque moves, quod Sophus appro- [bet
Quicunque attonitus. Sunt Tibi pervii
Motus prætere a pectoris intimi
Humanum quot agunt ad mala, vel bona
Quot ducunt genus, et scis juga singulis
Sive imponere, seu fræna resolvere.
Quidnam his utilius? quid melius queat
Fingi? quid celebri carmine dignius?
Queis est terrigenis parta beatitas?
Ergo jure Tuum Vilna canit decus,
Et magni memorat Te pretii virum

Mater læta quibus vocibus assonat
Faustis non sine Germania plausibus,
Quæ nomen Tibi, cui concilias novas
Laudes Tu perarans sæpe volumina,
Dictô sæpe senex quod reputent suum
Stagirorum, et honor Lockius Angliæ.
Doctrinâ hæc adeo mirificâ madent!
Quæ si multa creat commoda gentibus
Vilnensis juvenes præcipue Scholæ
Fructûs ut capiant efficit uberes;
Quam si multa virûm millia plurimi,
Ut par est, faciunt, me magis omnibus
Percellunt radii quos jacit aurea.

ODE IX.

AD ANDREAM RAWICZ GAWROŃSKI.

Non Roma tantum plaudere civibus
Est visa, victis quum Capitolii
Regnis, triumphantes decorâ
Fronde jugum legerent potentis:
Gratata non sic Hellas Olympico est
Victori amicis carminibus parens

Excepit illos quum coronâ
In mediâ populorum ovantes,
Gens ut tiaræ Cracoviæ Tibi
Gratata plausit lumine fulgido,
Quum Pastor intrares sacratus
Illius, o venerande, portas
Andrea, ut altis cantibus extulit
Te grex beantem quæ sibi pascua
Concessit æquô Numen ore,
Quæque Tibi dedit excolenda.
Manes priorum Pontificum caput
Altum e sepulcris sustulerunt suis,
Pompamque spectarunt triumphi
Attoniti novitate tanti.
Et destinatum munere Te poli
Sensere rerum providi ad ardua
Magnarum, ut aptum, jam peractis
Innumeris aliis, agenda.
Non alma cœlo substitit addita
Ignatî adepto, pendula sed cohors
Affulsit ardens per fluentum
Vestibus in nitidis propinquum
Urbi, nec ullus defuit integro
Apex honori quàm Tibi debito!
Et quot celebrando Camœnæ,
Si recolat Tua facta, nervis!
De more pompæ splendida quæ nitent
Hujus supremis quæque favoribus

Dignabitur Numen [quod edunt
Perspicue Tua cœpta] semper:
Queis et vetustis Patribus æmulus,
Pavere Christô qui sibi creditos
Agnos, repellis concitatam
Turpium in hos rabiem luporum,
Illis bonorum et millia præparas
Curis paternis, ingeniô piò,
Instarque Te præbens fruentis
Axe Dei facie beantis;
Quem vota cunctorum, et calidæ preces
Urgent ut ævi tempora prosperi
Ducas ad extremam senectam
Quotquot amant meritum vigere
Sublime, quæsitum artibus et bonis,
Virtute et atro cedere nesciâ
Livoris insani furori,
Fraude capi solitâ nec ullâ.

ODE X.

AD XYSTUM LEWKOWICZ.

PROMISSIS steteris perpetuò si quibus antea
Vinxisti mihi Te, dulce caput, nec mala fregerit

Si sors consilium quod capimus sorte sub
ædibus
Ambo queis fruimur juncta simul pectora mutuis
Vinclis, nullus erit, mi, geminis, crede
beatior.
Tunc majore canam, Xyste, sonò corde
quot exseris
Jam nunc ingenui signa viri, quæ fallere vix queunt
Vates sæpe videt quorum acies intima
pectorum.

ODE XI.

IN MALEDICUM, et INGRATUM.

Parce, Thersiten referens, Achillem
Ore mordaci petiisse, pugnò.
Ne tuas illô feriente malas
Dentibus orbet.
Nec velis, Brutum similans, malignô
Corde, non idem manibus, ferire
Cæsarem, ne te feriant parentis
Tela benigni.

Consulas prudens tibi, ne quis atrò
Dente te carpat, miserande, tuque
Forte Spartanis subeas jambis
Fata Lycambæ.
Vive naturâ potius magistrâ,
Quæ tibi talem dedit esse, terræ
Proximus, cœlum cave suspiceris
Posse tenere.
Rana nequidquam cupit esse taurum,
Æquori rivus male comparatur,
Ferre Pygmeum ratio vetatque
Bella Giganti.
Stultus oh tandem sapias malorum
Providus turpi capiti imminentum, et
Judicis functus vice judicato
Quid tibi prosit.
Pejus haud ullum parit Afra monstrum
Ora, non olli Siculus tyrannus
Vixit aut unquam similis, faventem
Qui sibi lædit.
Debitum huic est supplicium vetustas
In truces lata grave parricidas
Lege quod jussit, Phalaris vel olim
Quod tulit atrox.
Heu diem cæcâ fugito recondens
Nocte te quisquis stimulis furoris
Incitus tantis, hominum Deumque
Jura revellis.

O D E XII.

AD
JOANNEM CZERNIAWSKI.

CZERNIAWSKI, Boreæ qui novus a plagis
Vilnense adveheris Doctor ad oppidum,
Dum Vılnâ excipior Doctor ego et novus
Ex Austri veniens plagis:
Si Te principiò sic geris Imperî
Linguam, facta docens, et bona Rossici,
Diceris nova mox nominis ilius
A cunctis hominum tuba.
Rossæ tanta Tibi copia suppetit
Doctrinæ! facili tamque refers sonô
Quidquid difficilis celat, et ardui
Libris illa recondita!
[Æquali Latiæ lumine literæ
Splendescant facito, Phœbe pater, precor,
Per me Sarmaticæ sub lare Pallados
Tanto vix operi parem.]
Illis curriculum confice gressibus
Queis laudum cumulô præditus incipîs,
Ut quidquid superest gloriæ ad ultimum
Posthac obtineas gradum.
Quantum Rossiacæ luminis additur,
Gentes o, Sophiæ! discite, discite

Quantis hæc opibus dives, inertibus
A terris nive, prodeat!
Nam vos non lateant ista licet, tamen
JOANNES studiis nobilius suis
Illius pretiumque, et decus efficit,
Ipso dignus Apolline.

ODE XIII.

AD
IGNATIUM RESZKA.

IGNATI, nitidas dispiciens poli
Flammas, quæque notas ore docens gravi,
Vilnæ sidus amicum
Quis Te non canat additum?
Quis non Uraniæ Te chorus arduis
Addictus studiis non videat jacis.
Quos longue radios! non
Doctrinam stupeat Tuam?
Per Te Sarmaticas quot Dea per plagas
Natos! quotque sibi nomina vindicat
Laudum! fama sonante
Orbi quæ recinit tubâ.
Hinc pascet rutilans astra volubile
Dum cælum, facibus Phœbus et aureis

Splendores aget almos
Vives, inclyte, gloriâ;
Et de sideribus qui meritus bene es
Dum vitæ flueret curriculum Tuæ,
Hæc regnum Tibi Divûm
Felix ut pateat volent.
At cur ingenuos prætereo silens
Mores, et facie quam bonus indolem
Profers, Doctor, ab ipsâ
Nulli non virûm amabilem?
Non hæc Musa refert, quippe nitent ma-
Per se præradians quàm jubar ætheris, [gis
Cernunt quæ nisi quidam
Captos lumine dixeris.

O D E XIV.

IN MOSCIAM.

Ut ampla tectis, Moscia, maximis
Exsurgis amplà Pallade nobilis
Quæ fundit emergens ab Arctô
Se Sophiæ celebres per urbes,
A laude claris accipiens suæ
Devota laudi carmina gentibus,

Plausûsque longe concrepantes
Per populos Dea quos tuetur.
Nam qui silentes prætereant Sophi
Quod gloriam, quod condecorat Tuum,
Æternat et nomen Lyceum
Excipiens juvenum cohortes
Mox imbuendas artibus aureis,
Aut exitum si perspiciant bonum
Quem cœpta spondent? aut honesti
Utile si recolant laboris,
Quem corde firmò suscipiunt, sinus
Et prosequuntur nisibus inciti,
Dum, mente, contingant beatam
Quam solidà statuere metam?
Quid si Magistros quos habet optimos
Pendant? et horum si pretium æstiment,
Quod quemque percellit, metallô
Lucidius, nitidisque gemmis?
Ut obstupescent! ut laribus Tuis
Felix avebunt 'jungier hospites,
O Civitas, majore quo Te
Concelebrent sonitu merentem!
Ast frigidum quod pectus, et aridum,
Et caute durum Caucaseâ magis
Non hæc ALEXANDRI bonorum
Præcipue Tibi sentit orta
E jussibus? qui Palladias beat
Artes amicis usque favoribus,

Cujusque Rossorum benignô
Sidere, Diva micat per oras,
Regina clarô ceu diademate
Præcincta crines, divite vestibus
Aurôque textis, et monili,
Et rutilô decorata sceptrô.
Immensus ergo quot tenet ambitus
Tecum vigentes Imperii Scholæ
Parentis Olli deprecentur
Cuncta Sui simili fruantur
Ut regna quovis tempore Principe
Divos, et altum quo potitur thronum
Hæc audeant lætæ petentes
Supplicibus dare verba linguis:
Tutela, nostri quin decoris decus
Cœtus, opimi muneris ob locò
Dignare quo pubes tueri
Rossa Tibi studiô laboret.

ODE XV.

AD JOANNEM DAVID HOLLAND.

FELICIS Orpheus ut citharæ modis
Plutonis atri molliit asperum

Pectus requirens funeratam
Euridicen querulô canore,
Aut saxa qualis dulcisonâ lyrâ
Prædura Thebes mœnia surgerent
Commovit Amphion ut alta,
Sic rigidos animos ad instar
Flectis vel æris, quum strepitum fidis
Doctô beantem pollice temperas,
HOLLANDE; quàm cultu politas
Pelliciens hominum catervas!
Quisquis atroci solicitudinum
Turba gravatus dejiceris miser,
Paulisper aures applicato
Huic digitis sonitum cienti
Artis magistro, nec mora de sinu
Agmen dolentis triste fugabitur,
Exorta Titanis nigranti
Ceu nebulas fugat axe lampas;
Et vos, secundis Numinibus dati
Olli docendi sub lare Pallados
Vilnensis Hunc omni juvenci
Voce, tubâ celebrate luce:
Ast ipse totô pectore gaudeam,
Sodale tantô qui fruor, otia
Tranquilla Musarum labores
Post varios mihi comparante
Chordæ vel ictu blandisonæ levi:
Hinc o perenni carmine prædicem,

Qui te fatigatam levare
Musa solet, studiis remissis.

PAULI TARENGHI ROMANI
EPODON
LIBER.

ODE I.

AD
HIERONYMUM STROYNOWSKI.

Ergo Tiarâ quo fruare splendidâ
Orbos relinquis lumine,
Amabilesque subtrahis sodalibus
Vultûsque, Stroynowski, Tuos,
Vocesque queis illos beare sueveras
Vilnensis urbis accola?
Quid restat ingemens poeta nunc spei
Illô tibi raptô bonæ?

Quantas oportet perferas curas, miser!
Quot damna longe dissitò
Sinum levabat qui pater velut tuum,
Curabat et quidquid mali
Iniqua sors. vel agmen intulit Stygis
Mortalium par fœtibus!
Beata qua moraberis vel unicô
Urbs temporis puncto, sacer
Pastor futurus es gregi Tibi dato
Qui fons perennis gaudii.
Liceret oh partem esse conjuncto mihi
Cui pascuum genti paras!
Magis domorum hôc mole viverem magis
Contentus auri copiâ,
Carerem et hujus omnibus libens bonis
Non impos ut voti forem.
Quod fata cum mî denegent atrocia,
Remotus id solum precor:
Amantis usque Te sinus vige memor
Amore purô filii:
Ut ante sidus mi fuisti lucidum
Nigris procellis obruto,
Velis et inde me favore prosequi,
O magne Præsul, maximò.
Hac ipse cor dolebo spe fultus minus,
Superbô et incedam pede.

O D E II.

IN PULAVIAS.

Quietis almæ mî reperta, navitæ
Ceu portus, acto fluctibus
Pulaviensis o beata maximi
Favore sedes Principis,
Canore semper prædicem te carminum,
Colam fideli pectore.
Benigniora nulla ruris otia
Expertus unquam sum tuis:
Nam quas in udô non sinu complecteris
Opesve ridentis agri?
Aut hæ locantur artis a curis ubi
Feliciores ordine?
Te lambit hac ex parte personantibus
Undis superbus Vistula,
Ex hac agrorum messibus feracium
Vastus coronat ambitus,
Nec deserunt te perstrepentes mitibus
Auræ benignæ flatibus,
Mulcere nec volucres cantu desinunt
Quod imminet cœlum tibi,
Silvamque spissis arceat quæ frondibus
Solis calores excipis,
Non murmurantis aquæ desunt rivuli,
Non stagna læto litori,

Feræque venans quas sequatur impiger,
Pecusque quodvis utile.
Quare vireto te sereni dixerim
Manes parem quod incolunt,
Tempe referre vel nitore Thessala,
Campique fœtu divitis,
Aut otiosæ Sarmatis Neapolis,
Aut instar esse Tiburis.
Sed mole quis non obstupescat ædium
Visà tenentis te Ducis?
Variumque larium et ordinem reputet si-
Si proximorum, et decus? [nu
Num te bonarum concinat non artium
Exemplar insignis Scholæ?
Hi nempe quidquid seu vetusta tempora,
Seu nostra callent, exserunt,
Ut possidere copiam voluminum
Queis omnium ævorum datur.
Præferre puri Signa mille marmoris,
Artis triumphos nobilis,
Jactare Grajis et pares coloribus
Notæ figuras inclytæ,
Choris patere Pallados frequentibus,
Et laude doctæ plurimà.
At quam pararunt fata tibi prospera
Per secla nuper gloriam,
Quum Sol receptus est tibi mortalium,
Et Flos ALEXANDER virûm?

Quo vincis altô civitates vertice,
O terra, cunctas Hospite:
Est Arbitro referre qui visus tuo
Fraterna junctus sidera.
Signate talem, posteri, precor diem
Festi lapillò luminis:
Hoc nulla factum conticescat gentium,
Ætas loquatur quælibet.
Bonis ut usque ditent te recentibus
Calente Superorum prece
Manûs fatigo cunctas, et mortalium,
Laudesque ut augeant tuas;
Precibusque nostris forte concedant lo-
Hæ sique, et illæ fervidis, [cum
Utræque tot rependent ampla munera,
Juvisti quibus me prius.
Donare quandò mihi fas est carmina
Vix digna parvô nomine.

O D E III.

IN DIEM ONOMASTICUM HIERONYMI STROYNOWSKI

Amica nostro quæ micas dies redi
Serenior cætû, precor,

Et usque Divûm lætior favoribus,
Quæ dulce STROYNOWSKI decus
Creas vel unâ Nominis magni notâ,
Nobisque gaudium intimum.
Te discat Afer, Persa, Dacus, et Scythes
Lætique gratentur tibi,
Et Pœbus ad nos te reducens apparet
Clarissimas inter locum.
At cui memento sacra splendes omnia
Referre, Lux felix, bona,
Is quippe cunctis hæc ut augeat magis
Curis laborat strenuis.
O Nomen, auri quod sonas ut huic meæ
Infundis omnem spem sinu.
Cressus notet non te lapillus unicus,
Sed mille cœli sidera:
Nostræ perenni te Camœnæ concinant
Longe sonantes carmine,
Nec ullus auditâ virûm neget tuâ
Famâ caput pronum dare.

ODE IV.

IN INVIDOS.

VENENA turpi fauce quæ, Livor, trahis
In immerentes evomas,

Furensque sævias vel igne tetricô,
Telôve conjectô gravi;
Neget satellitum nec agmen horridum
Insanientem te sequi:
Quid inde? virtutis si te franget mascu-
Ingente casu corrues? [la, et
Novis nec illius cades, nimisque scis
Expertus ex armis, o miser,
Nam quot tulisti bella sive tempore
Olli vetustô aut nuperó,
Inominatô finierunt exitu
Incœpta tristi ut omine:
Nec Hercules enim impetus non diruit
Monstrorum, et atroces minas,
Gigantis arma et edomat Pater Deûm
Rubente pugnans dexterà,
Nec Phœbe, nigror, nec Favoni nubila
Ut occupent cœlum facis.

ODE V.

AD JOSEPHUM LAVILLE.

JOSEPHE, nostri magna pars o pectoris
Ut ipse magna sum Tui,

Laudes taceret hæc Musa si plurimas
Quantum patraret heu nefas!
Novosque curas queis honores patriæ,
Tibique in ævum gloriam.
Quæ si patent virorum multis cœtibus
Plus ipse novi cæteris:
Fluxere namque Te sodale jamdiu
Mi longa vitæ tempora.
Helvetiæ dedere nobis oppida
Quæ sede communi frui,
Fidelitatis mutuó ligamine
Videre junctos intimæ.
Stultitia gravibus implicata vestibus
Tonaret ore turgidó,
Crudelitas et dira non merentibus
Utrisque quum ferret cruces.
Frustra, labores quippe mitigavimus
Consortio dulci graves,
Nec nos beare desiit favoribus
Quem signat arbor Palladis,
Qui visus æstuosa, sidus Castoris,
Mulcere nobis æquora,
Cujus meretur nominis celebritas
Vatis supremi carmina.
Jugô sed illô liberati ferreô,
Ægyptô ut Isaac posteri,
Qualis bonorum non parata copia
Ambobus est passis mala!

Tunc nos recepit arvum dives ubere
Lætô Palestinum sinu,
Tunc barbaris ut acres victis urbibus
Consedimus mensis duces.
Tibi reclusit quandò sors ad optimum
Iter serena Principem:
At me Tiara juvit fulgidissima
Carinthiæ primo in oppidò.
Sic parta salus nobis est, et aurea
Optantibus venit quies,
Donec [voluntas o benigna Numinum!]
Longô remotis litore,
Pulaviani rursus est in inclytis
Penatibus jungi datum
Spem præter omnem, namque de Te nun
Dudum fuit nullus mihi. [cius
His pæne fractum me via sub ædibus
Frater levasti ceu forem,
Contempler hinc novasque, sive pristinas
Tui notas in me sinus,
Te mì ligatum vinculo septemplici
Amoris altè concinam.
Ast integros quis versibus mores queat
Queis Ipse præstas assequi?
Aut omnibus juvandis prona pectora
Vel civibus, vel exteris?
Quis Pallados Te maximis honoribus
Vatum nitentem sat canat?

Suadela sive quos habere vivida,
Mathesis aut dat ardua?
Seu Numini sacratur qua scientiâ
Orbi scelesto providâ,
Seu qua coercet impetus mortalium
Ad omne promptos criminis?
Quod si tenere Vilnæ sospes oppidum
Quivi viator inclytæ,
Debere magnâ ex parte me sagacibus
Curis recordor id Tuis.
Fulsere quandò mì secunda Principis
Per Te supremi lumina.
Exceptus a quo Dux ut olim Trojus
A rege sum Trinacriò.
Qui terminum viarum quamvis asperum
Convertit in hortum mihi,
Deditque summum Te Pelasgæ Pallados,
Novisse, GRODDECK, artibus,
Nec usitatâ laude pennis ingeni
Poli tenentem culmina.
Quid plura? recreavit me velut pater
Prolem fatigatam solet.
Hinc cæteris, LAVILLE, felix vivito
Felicitatem comparans.
Quibus valebo viribus tuebor, et
Te semper affectu colam
Magis vetustas fidò quàm quem prædicat
Achillis erga Patroclum.

Nec ulla retardabit vices impia
Amoris hujus impetum,
Delere nec æterna quibunt sæcula:
Sic hæret altè pectori,
Majora cujus usque præbeam Tibi
Ut signa flagrans expeto.
O vis Deorum, fac utrique sospites
Vitæ exigamus ut dies,
Sinas nec hos amores candidissimos
Ullis nigrari nubibus.
Atque oh sepulcrum possit unum condere
Cadavera amborum simul,
Vixere qui non atris fracti casibus
Unô vel ungui dissitos.

ODE VI.

IN JUVENEM DESIDIOSUM.

Cales juventâ fervidus, langues tamen
Socordià victus, miser,
Ingloriâ, malôque gaudes otiô
Heu non memor virtutis! heu
Oblitus decus et parentis maximum,
Nec dicta pendens illius.

Sopore quo gravaris amotô, vige,
Ardensque vires exsere
Tandem benignô queis tibi vultu frui
Natura concessit parens:
Pro patria vel non timeto fundere
Vitam sequutus, prælia,
Vel Palladi te percolendum tradito
In urbe sacratâ Deæ,
Hoc civis ut fias et audias modô
Togâ vel armis inclytus.

O D E VII.

IN HYPOCRYTAM.

Si scripta quantùm redoleant quisquam
Tantisper, Ausoni, putet [tua
Panætii, Catonis aut prisci dogmata,
Exemplar integri sinus
Mentisque dicet sentientis optimè,
Cœlique te dignum arcibus.
At si sagacis inde curâ pectoris
Te spectet intus proh pudor!
Scatere fœdis quot notabit sordibus!
Quove implicari glutine!

Referre vulpem callidam modis gravem
Clamabit, astu perfidum.
Merere luridi domos et Tartari
Locò micantis ætheris.
Sepulcra sic foris videmus albida
Quæ continent putredinem:
Sic et marina monstra sub lucentibus,
Latentve saxa fluctibus.
Virtutis ad me quos color, non per trahit
Robur, abite, masculum.

ODE VIII.

IN IMPIUM.

Quid exsecrandâ concitas in me prece
Diras malignas, Ibyce,
Quod non tuorum sector ullum dogmatum
Nec poto quæ das toxica?
Potente Numen usque si tuebitur,
Ut ante res nostras ope?
Quod ore putri, quod lacessis copiâ
Scriptorum, et omni crimine
Ito, nefande, quo vocat nigerrima
Te gens malorum Dæmonum,

Aut quo lupanar atra sordissimum
Manet recludens limina.
Commune nil meis erit, nec est tuis,
Fuit nec unquam sensibus.
Et jurgium quo me petis, nullum moror
Sævasque rideo preces,
Quæ ne retortæ concidant in te cave,
Damnumque supremum ferant:
Quandò solet sors ista, furcifer, sequi
Ore precantes impiô.

ODE IX.
AD
HIERONYMUM STROYNOWSKI.

Huc usque vixi sorte rarô prosperâ
Usus frequenter asperâ,
Quod vix vel æquus sit mihi mortalium
Inventus, aut ullus integer.
At me bearunt fata demum cognitâ
Virtute, STROYNOWSKI, Tuâ,
Quæ mente quo putatur ima sæpius,
In majus usque tollitur,
Sinitque nemo non ut altô diligat
Sese merentem pectore,

Nonnulla cujus dedicata gloriæ
Hic legeris qui carmina,
Vix attigisse versibus puta hanc meis,
Libasse vel summis labris.
Ergo quiete mî frui datur modò
Nullô reperta tempore,
Dato paternis ulnis, ceu nato, Tuis
Sinusque sensis credito,
Candore quæ nives, olores et valent
Mysi Caici vincere.
Quid horream malæque gentis impetûs?
Sævasqne fortunæ minas?
Tuâ potentiâ, Tua felix ope
Dignatus, et curis vigens?
Quid expavescam vel mali, si Te bonis
Auctore cunctis affluo?
O qui doletis a malignis, ut prius
Exerciti fatis, ego,
Tum corde curis anxi s gaudebitis
Demum fugatis e gravi
Quando quis Olli par erit præsto virùm
Felice vobis alite.
Beatiores his fluantne mi dies
Si secla rursus aurea
Labantur orbi? vel benigna riserit,
Ut Regibus, si Copia?
Hoc nonne jure vixerim contentior
Sodale, quovis agmine?

ODE X.

IN SUPERBUM.

SUPERBIENTIS insolentiæ, virùm,
Expressa imago, Postume,
Ferenda nulli: quid tumes procacibus
Verbis? et incessu gravi?
Videsne sannas te mereri putidas,
Ne dum cachinnos urbium,
Quascunque levibus actus intras curribus
De more Salmonei tonans,
Vel quas ineptis cunque reples vocibus,
Vel provocas audacià?
An Adriæ jacente rupe surdior
Non accipis factus mari
Quot jurgiis dudum pates? quot et tibi
Non irritæ impendent minæ?
Ne rivulus quum sis velito maximi
Tumere ad instar fluminis,
Inutilis nec herba ruribus data
Referre fœtùs arborum,
Jonica nec, vilissimus velut lapis,
Æquare tentes marmora.
Arena nescis quod sit impar grandibus
Suffulciendis ædibus?
Eurône te tumentes cœlò præterit
Ludibrium Cauri nubila?

ODE XI.

AD
SUUM FRATREM, ET SORORES.

DILECTE Frater, vosque cordis o mei
Utraque spes, et amor,
Lenimen et blandum Soror;
Terræ remota quamlibet nos dissitos
Efficit esse plaga,
Conjungimur præcordiis:
Nec vester, aut meus sinet unquam sinus
Vincula nostra, malâ,
Vel sorte perrumpi bonâ:
Nostras vices quandò gubernat nutibus
Juppiter ipse suis,
Gaudens amicis nexibus:
Natura queis et stirpe nascier dedit
Mater eâdem avibus
Benigna jucundissimis,
Concessit et fomenta mutuus quibus
Semper alatur amor,
Et arctius nos illiget.
Ab Hesperò prius facem hinc Sol auream
Efferet exoriens,
Eoô et occidet mari,
Et piscis Africô natans in marmore

Vivet Hyperborei
Sub rupe siccus Caucasi,
Armeniæ vel pectus asperum tigris
Instar erit pecudis,
Columbæ, atrocis vulturis,
Ferant amores quam parum damni mei,
Aut minimum tepeat
Qui fervidos servat calor.
At de tuis quid eloquar, qui cogniti
Sunt mage quam fuerint
Pollucis erga Castorem?
Nos si reservent fata bona sospites
Temporis ad reliquum
Nostro quod ævo destinant!
Tot perfruemur otii quondam bonis,
Deliciisque simul
Divulsa quot nunc pectora
Patimur et ægrimonias, et anxius
Solicitudinibus
Quot urget absentes timor.

ODE XII.

AD FRIDERICUM NISZKOWSKI.

Nil intentatum medicâ, FRIDERICE, relinquis,
Ut summus tollaris in arte.

Insudas libris, hominumque introspicis o-
  Articulos, imasque medullas, mnes
Suscipis orbis iter docti, fusôque salubris
  Ære tenes monumenta Minervæ,
Denique non curis, parcisve laboribus ullis
  Hanc valeas quò tangere metam.
Interea Te Vilna sonat lætissima, plausûs
  Et geminat Tibi turba Sophorum.
At Tua præ cunctis exsultat amabilis, urbis
  Mater deliciumque paternæ,
Quæ mihi Te memorans absentem recreat
  Pectus, Teque canam facit acer, [imum
Quæque suum meritò natum jactare su-
  Qua possis et ovare Parente, [perba,
Sed licet a multis hac sejungaris ab orâ,
  Nos inter versaris honore,
Externis qui se prodens e gentibus auget,
  Vilna, tuæ præconia laudis,
Qui magis atque magis succrescet, ceu be-
  Phœbi vivax arbor in hortô, [ne cultô
Atque opera edendos urgebit ad alta nepo-
  Propositâ virtute Tuorum, [tes,
Livida non patitur quæ sive oblivia, sive
  Invidiæ rabida ora moratur.

ODE XIII,

AD AMICUM.

CRIMINA nulla latent, vel si fortasse la-
  Fucata quædam sentias, [tere
    Non bene, Crispe, putas.
Imi quandoquidem vel sensus illa revelant,
  Centum vel ætas detegit
    Prædita luminibus.
Quid? quod cura sui scelus est immanior o-
  Crudelitas quod protulit [mni
    Horrida supplicio?
Nam licet interdum vigiles eluserit urbes
  Pœnas et infligunt graves
    Quas sibi jura virum,
Nec placidos carpit somnos tamen, aut ju-
  Ager benignus fructibus, [vat illud
    Regificæ aut epulæ,
Marmoreumve solum, fulgens aurôve la-
  Dulcisve concentus fidis, [cunar,
    Omnigenæ vel opes:
Quippe aliis loquitur natura tacentibus,
  Ut membra carnifex, mala [et trux
    Pectora discruciat.
Virtus at contra sibi sufficit una beatè
  Quò vivat, etsi pessimas
    Sæpe vices patitur,

Pulchrior in turpi quæ fundò mersa re-
Majorque fit sub infimâ [surgit,
Sede modesta latens.

O D E XIV.

A D
HIERONYMUM STROYNOWSKI.

Te quibus officiis observem? quave re-
Mercede, STROYNOWSKI, pari [pendam
Queis benefactorum cumulas me millibus,
Queis perfruor per Te bonis? [et tot
Impar et Charisin, meritisque insignibus
Æquale pondus reddere? [impar
Non hæc innumeris mihi fas æquare Ca-
Imisque mentis viribus [mœnis,
Quid præstem hinc operis? prece fervidus
Qua Phœbus, et Di cæteri [utar amicâ
Ille canore canat Te summum, tempora
Dent læta ut illi ducere. [vitæ
Quin, prece submotâ, conabor pectore
Ut arceam infensos Tibi [toto
Seu sit opus manibus, seu linguâ divite
Seu quolibet mavis modò. [sensu,

ODE XV.

AD BENIAMIN HAUSTEIN.

Quid blateras? quid, stulte, moves Germania lædens
Ab ore quos fundit sonos?
Quid durò natam jactas e robore linguam? et
A rupe scabrà proditam?
Quantà nocte, miser, tua mens obvolvitur! et quàm
Errore turpi falleris!
Haud hanc, haud ullas addiscis, Zoile, at audax
Inflare qui buccas soles.
Vilna tibi reserat, ne dum Germania mater
Hæc lenis ut rivus fluat,
Quî gravis exsurgat, primisque exculta Sophorum
Quas proferat felix opes:
Indecorem nec te sermone moratur honestò
Urbs tanta, nec spectat quidem,

Hausteni laudes contenta referre Magistri,
Illius excelsum decus,
Qui tibi concentu resonent Germanica justò
Quo verba declaret modô,
Mente suos, dictisque potens qui format alumnos
Aptos ad artes, et notas,
Seu quas blanditiæ, seu quas inventa requirunt
Recentis ævi plurima.
Ergo Viri audito voces, et sensa docentis,
Atque ore compressô tace.

ODE XVI,

AD CHRISTINAM FRANK.

Ut silvæ tremulis Philomela canora sub umbris
Sonum moratur obstrepentis aêris,

Ut subigit citharâ dulcis', cantuque Camœna
Sibi vel ære pectus asperum magis,
Sic modulos, CHRISTINA, Tuæ stupet aure moratus
Manus, et oris integer virûm chorus,
Illectusque Tibi cedit, ponitque rigorem,
Ut igne cera fitque mollis arida.
Non uni quæ tanta patent miracula genti,
Vel ima plebis his beantur agmina,
At Regum præbent solamina dulcia curis,
Juvantque corda quælibet potentium.
Itala testantur, Germanaque talia terræ,
Et ora qua teneris alma Sarmatæ;
Regia sed nuper quæ maxima panditur orbi
Tuô canore recreata concinit,
Ampla Tuis quæ dona dedit virtutibus, et quæ
Celebritate Te loquatur inclyta
Petropolis faciet, summisque favoribus ornet,
Honore prosequatur usque maximô.
Sed queis naturæ præstas et dotibus artis
Studes levare, quàm benigna! pauperes:
Illæ quippe soles queis gignunt fructibus uti

Ad apparanda commoda indigentibus,
Qui benefacta canunt Tua centum mitia linguis,
Deamque Te referre jure prædicant,
Quæ tristes miserata virûm casûsque, vicesque
Opem sagace mente curet omnibus.
Fervida de penitis fundunt hinc vota medullis,
Precesque mille, Rector o tibi Deûm,
Sospes ut innumeros hæc vita vigescat in annos
Manus beare quæ valet miserrimas,
Officiisque piis in lucrum vertere lucra
Egentium, boante parta gloriâ.
Quid mirum ergo Tuæ si res felice ferantur,
Vt acta navis a Favoniô, rotâ ?
Hinc est gemmarum quòd copia dives, et auri
Tuâ sub æde luce ridet integrâ,
Succrescitque Tibi magis usque augenda supellex
Opum, Ceres benigna ceu novalibus,
At cui, proh Superi! Conjux es facta Marito,
Nitens et hac, nîtensque laude cæterâ.
Seu faciles mores, seu quam producit acumen

Decusque, Pallas alma, quem foves
sinus!
An cuiquam vinclis poteras tam digna
ligari
Amicioribus, vel arctioribus?
An quemquam tantâ magis Illo fruge
bonorum
Frui tulisset alta Numinum cohors?
Qui sibi subdit opes quotquot natura
triumphat,
Hygia jactat, et Mathesis aspera,
Qui, cantu veluti Tu, flectit pectora lin-
guâ
Apum suaviore melle dulcium;
Omni præcellit qui clarus in arte Mi-
nervæ,
Amabilis beatô et omni in otiô est.
Connubiò, gentes, a tali discite doctæ
Ut omnium coire fas sit agmina.
Namque reor pauca his vidisse æqualia
Solis,
Vel ulla vix videre posse, lumina:
Virtutis quandò solidatque potentia fir-
mæ,
Juvant honoris hæc et acta plurimi,
Quæ modo sunt hominum tam rarò per-
via visû,
Fuere sacra, quàm prius, Ceres, tua:

Atque utinam quirem majori hæc tollere cantu,
Sonô lyræque concrepare vincula!
Quo votô compos! vel qua non laude vigerem
Poeta factus instar, o Maro, tui!

ODE XVII.

POETA INTERROGAT,

Quo, quo recessit ille splendor aureus
Virtutis, Orbis, quo nitebas antea
Serenior serenô factus æthere?
Ut nunc tenebris implicaris horridus!
Ut asperum nunc sentibus refers nemus!
Turbinea jactat impetu quantô Notis
Procella te nunc fœta pervicacibus,
Qui visus horto par floribus prius
Ridens amœnis, arborumque fructibus,
Et æquori quum lenis aura flatibus
Componit undas obstrepens tepentibus!
Criminibus utque trucibus homicidæ Numinis
Patescis [ingens heu nefas!] furoribus,

Gaudere pace qui solebas aureà,
Qui si tonabat ante Mavors efferus
Unò premebat te locò vel alterò:
At omne litus nunc fatigat, omnibus
Infert nefanda gentibus heu funera!
Quid impiorum candidos ut inquinent
Commenta, facta, scripta, mores, eloquar
Vocesque, quas non ora dixeris virûm
Proferre, fauce Tartari sed editas.
Quid quo Juventus lacte prædicaverim
Orbetur, orta nuper, aut scientiæ
Aut nutriuntur quo piorum corda, quod
Honorque sugunt, et modestia, et fides?
Quid rixa sævit? quid frequentior dolus
Sagacitate vel valentes decipit?
Major quid error possidet mentes virûm?
Venalis est in pluribus cur oppidis
Quæ jura lance ponderat justâ Themis?
Mordentur aut cur conscientiæ magis
A criminis latrante dente pessimæ?
Quid terra crebriore motu contremit
Altas recludens sæpius voragines?
Grassatur aut cur pestilentioribus
Malorum iniqua turba morborum notis?
Inversa quid stupemus Regna maxima,
Scelusque palmis gloriosum bellicis?
Cur insolescit libera aut licentia?
Crucesve quid parantur innocentibus?

Lethalis acies cur veneni pocula
Propinat Orci tot bibenda seculo?
Audacium quo tendit ira gentium,
Minæ, furorque, vis et expers consilî,
Pejora ni creanda ad damna pristinis
In posterum, ruinas et miserrimas?
Hinc fata quæ tam dira te perurgeant
Interroganti mî reveles anxio
De sorte vati, quæ tuos non accolas
Torquere perstans desinit durissima:
Felice sic fruaris oh tandem vice!

ORBIS RESPONDET.

FLETU redundas hæc tibi verissima
Orbis, Poeta, reddo verba turbidus.
Subvertitur sic impiâ vertigine
Jactata mens, et sic furit mortalium,
Audita nunquam plurimos ad crimina
Pellat ut, ausûs ad nefandos concitet.
Quos inter illud maximum cur non vocem
Ignatii sacras quod diruit Domos,
Quæ jure primam vindicabant gloriam
Sibi juvandæ mentis, et sinus virûm,

Doctrina, mores unde stabant aurei,
Summique cultus Numinis [quod est caput]
Quas machinata fraudes es, calumnia,
Ut candidam nigrares innocentiam!
Quot obligasti te, dira malignitas,
Ad perpetranda, nequam cœtui, mala!
Quum dente, quum libellis infamissimis
His perdidisti me [nefas heu!] perditis.
Quæ concidant ut unicâ sententiâ
Id est, proterva. tantum ut audias satis.
Qualis vigebam Filiis vigentibus
Divi tenentis purò ab Igne nomina!
Ut sordibus nunc illitus turpissimis
Fœdor! feris ut præda sum voracibus.
Quare resurgam tunc sepulcrò conditus,
Amica Turba quum mihi revixerit.
Hoc nationes integræ precemmini:
Urgete Reges hoc potentes. Annuat
Votis benignus his et viribus polus!

ODE ULTIMA.

IN VILNENSIS ACADEMIÆ GYMNASIUM.

PUBERES nondum juvenum cohortes,
Quas dedit cœlò bona sors amicò,

Palladis Vilnæ studiis alendos
Mitibus urbi:
Instar aprici Dea vos novalis
Cernit arridens sibi pullulare
Floribus certos reliquô daturis
Tempore fructûs,
Vel pares orti radiis Eoi
Diditis demum per aperta mundi,
Quamlibet summô tenui coruscis
Lumine mane,
Eruti terrâ similes vel auri,
Quod rudi quamvis minimi putetur
A virô primum, tamen in superbâ
Mox nitet aulâ.
Illa præsignes aliis Scholarum
Laude vos jactat genitrix alumnis,
Audit et vestræ sacra personare
Carmina turbæ.
Quin et illustres memorans Magistros
Vos agûnt ductu facili viarum
Qui per anfractûs, dociles, ad altas
Quas tenet ædes,
Percipit summos penitis medullis
Gaudii sensûs, aciemque tantam
Ægide ostendit validâ, bonâque
Mente tueri.
Sed Tibi facti meritum, decore
Talis, o ŻYCKI, tribuit supremum

Jure, nam, ritu genitoris, harum
Fræna gubernas.
Prosperas illas adeo salubri
Voce, tot curis vigil allaboras
Arduum summi teneant ut olim
Culmen honoris;
Otii et frondes oleæ remiscet
Indices docti, capiti gerenti
Lauream, binô Tua quò triumphet
Nomine fama.
Nec satis; voces, citharasque vatum
Excitat, mentes acuit Sophorum et,
Quò Tuum pendant pretium, canantque
Cætera facta,
Hisce quæ præbent oculis videnti
Grande spectaclum mihi laudis, hanc et
Non sinunt pressô remanere parvam
Ore Thaliam.
Unde qui tantæ statuit regendæ
Te Scholæ afflatum Superis putarim
Dexteris: nam quis meliore cursu
Dux regat agmen,
Sive castellum paret occupare
Montis in dorsô positum rigentis,
Seu per apricos meditetur hosti
Prælia campos?
Vincito, felix operum Juventus,
Quotquot hic monstrat reliquum laborum,

Teque speratum dubitetne quisquam
Ferre triumphum?
At neque his vestri, stimulis nec ullis
Indigent nisus animi, nec ardens
Quæ facit virtus magis ut magisque
Corda calescant.
Docta majori tibi pollicere
Vilna spe laudum monumenta, quandò
Indolis nunquam gremiô tulisti
Talis Alumnos:
Nec Duces tantum valuere prisci,
Dux valet quantum datus Hic ab axe,
Nec notis, ut hi, nituere claris
Ante Magistri.
Oh meæ multos rota volvat annos,
Deprecor, vitæ, Pueros ut istos
Cernam et heroum meritum referre,
Nomen, et ora!

Errata	*Corrige*
LIBRI I ODE IV.	
advccato	vocato
ODE XII.	
potius quam	potius vel
ODE XVIII.	
quaslibet	quaslibet hic
ODE XXII.	
Colliium	Collium
muris	muros
ODE XXVII.	
Sophorum et	Curas am ores et Soph
ODE XXIX.	
inctibus	ictibus
LIBRI II. ODE III.	
viator?	, Viator?
ODE XII,	
immiserabilis	illacrymabilis
ſerar est	ſerar ast
ODE XVII.	
Cum pæne	Pæne cum
ODE XVIII.	
velim reum	velis reum
LIBRI III. ODE II.	
quidqid	quidquid
ODE IV.	
Genius æthere	Deus æthere
ODE XIII.	
candida Pax	bona Pax
ODE XXIV.	
Pallade splendidam	Pallade nobilem
ODE XXIX.	
Pensamus acres?	Molimur acres?
Ah vive tantis	Ah! vive tantum
LIBRI IV. ODE I.	
Penis quæ	Penuis quæ

Errata		*Corrige*
	ODE II.	
Thaddæe		THADDÆE
	ODE IX.	
RAWICZ		RAWA
	ODE XIII.	
Te chorus		Tu chorus
longue		longe
	EPODON LIBRI ODE I.	
Vocesque queis etc		Voces et illos queis
	ODE VI.	
Hoc civis		Fias ut hoc et civis audias modò
	ODE VIII	
sordissimum		sordidissimum
	ODE IV.	
Quid inde? virtutis		Quid inde? virtus
	ODE XVII.	
redundas		redundans

NOTÆ.

HIERONYMUS STROYNOWSKI Episcopus Coadjutor Luccorien. Prælatus Scholasticus Cathedralis Vilnen. S. Stanislai Ordinis Eques, multorumqne Sodalitiorum Philologico-Philosophicorum Membrum.

MARTINUS POCZOBUT Observator Astronomus Imp. Vilnen. Academiæ Ejusdem Rector Emeritus, Regiæ Londinensis Societatis Membrum, Instituti Nationalis Gallici Correspondens, Eques Ordinis Aquilæ Albæ et S. Stanislai.

AUGUSTINUS TOMASZEWSKI Ordinis S. Basilii M. Dogmaticæ Theologiæ Historiæque Ecclesiasticæ Professor P. O.

THADDÆUS CZACKI Imp. Majestatis Omnium Rossiarum a Consiliis intimis, Membrum honorarium Imp. Academiæ Vilnen. nec non Sodalitii Philologico-Philosophici Varsovien. Generalis Visitator Schol. in Guberniis Volynien. Podolien. Kijovien. Aquilæ Albæ et St. Stanislai Eques.

ALOYSIUS CAPPELLI Juris Civilis et pœnalis vet. et recentiorum celebriorum Gentium Professor P. O. Cum Hic jam jam in eo esset ut iter institueret, quod ego celebrandum institui, bellum exarsit, ita ut rejectum fuerit in tempus aliud. Verum hoc Viro percommode cecidit! quippe qui suos Auditores Sibi gratantes exceperit, quòd hujusmodi dilatio eorum profectui præprimis faverit. Quàm id honorificum!

CORNELIUS POCOŁOJEWSKI Institutionum Civilium Justiniani Imp., et Juris Ecclesiastici Professor P. O. Emeritus.

GOTTFRID HERNESTUS GRODDECK Ordinis Literarum et Artium LL. Decanus, Liter. Græcorum Prof. P. O. et Academiæ Imp. Vilnen. Bibliothecarius.

JOSEPHUS CONSTANTINUS BOGUSŁAWSKI Theologiæ Prof. E. P. O. Collegii Moralis Præses. Canonicus Livonien.

PATER BRIOTET Operationum et Chirurgiæ Practicæ Professor atque Demonstrator P. O.

THOMAS HUSARZEWSKI Congregationis Missionis Profes. Historiæ Universalis, et Critices. P. O. Emeritus.

MICHAEL SZULC Architecturæ Civilis et Militaris Profes. P. O.

FRANCISCUS SMUGLEWICZ Delineationum. atque Picturæ Profes. P. O.

ALEXANDER Comes POCIEY Magnus Castrorum Metator M. D. Lituaniæ Ordininum Multorum Eques.

ANDREAS LE BRUN Sculptoriæ Artis Profes. P. Extraordinar.

THADDÆUS KUNDZICZ Prælatus Cancellarius Cath. Vilnen. Librorum Censor, Matheseos applicatæ Profes. P. O. Emeritus.

PETRUS Comes ZAWADOWSKI a Consiliis intimis, Senator Imp. Majestatis omnium Rossiarum, Minister Insructionis Publicæ etc, etc. Multorum Ordinum Eques nec non St. Joannis Hierosolymitani Commendator.

FERDINANDUS SERAFINOWICZ Sch. Piár. Academiæ Imp. Viln. Adjunctus.

ADAMUS Princeps CZARTORYSKI a Consiliis intimis, Senator Imp. Majestatis omnium Rossiar, Minister Rerum Exterarum, Curator Imp. Vilnen. Acad: multorum Ordinum Eques, St. Joannis Hierosolym. Commendator nec non ejusdem Ordinis Locumtenens Magni Prioris Rosso-Catholici Priorătus.

IGNATIUS Comes POTOCKI Magnus Mareschalcus M. D. Litvaniæ, Membrum Sodalitii Philologico-Philosophici Varsovien. multorum Ordinum Eques.

JOSEPHUS MICKIEWICZ Canonicus Samogicensis Smolenscensisq;, Præpositus Visnieviensis, Collegii Physici Præses, Phisicæ Theoreticæ, et Experimentalis Professor P. O. Emeritus.

SIMON MALEWSKI Academiæ Secretarius, Juris Naturæ. et Gentium, nec non Oeconomiæ Politicæ Profes. P. O

ANNA Comitissa MOSTOWSKA nata ex Principibus RADZIWIŁŁ.

FRANCISCUS Milikont NARWOYSZ Mathematicus Regius, unus e duodecim Sociis Exteris Societatis Scientiarum Italicæ, Canonicus Samogicensis, Smolenscensisque, Matheseos sublimioris puræ, Profes. P. O.

MARTINUS KOCHANSKI Magister Linguæ Germanicæ in Gymnasio Vilnen.
Libri III. Ode XVI. Hanc edidi quum Celsissimus Princeps ADAMUS CZARTORYSKI Summis Sacræ Francisci II. Majest. Imp. Reg. Apost. exercituum Ducibus adscriberetur.
ANDREAS SNIADECKI Chemiæ ac Pharmaciæ Profes. P. O. etc, etc.
THOMAS ZYCKI Scholarum Gubernii Gymnasiique Vilnensis Director.
AUGUSTINUS LUDOVICUS BECU Pathologiæ, et Materiæ Medicæ Profes. P. O.
SEVERINUS Comes POTOCKI omnium Rossiarum Imp. atque Aucratoris Senator, Camerariusque, Charcovien. Academiæ Curator, Ordinis St. Vlodimiri, Aquilæ Albæ, et St. Stanislai Eques etc. etc.
FERDINANDUS SPITZNAGEL Medicinæ Practicæ. Profes. P. O.
ISABELLA CZARTORYSKI Celsissimi Principis ADAMI Conjux.
STEPHANUS STUBIELEWICZ Phisicæ Profes. P. O.
JOSEPHUS FRANK celeberrimi JOANNIS PETRI F. Therapiæ specialis et Medicinæ Clinicæ Profes. P. O. etc.
JOANNES Korwin KOSSAKOWSKI Episcopus Vilnen. Membrum Sodalitii Philologico-Philosophici Varsovien. Eques Ordinis Alexandri Neven.
THADDÆUS BRZOZOWSKI S. JESU Præpositus Generalis.
JOANNES ANDREAS LOBENWEIN Ordinis Medicorum Decanus, Anathomiæ Profes. P. O.
JOANNES SNIADECKI Astronomus Observator et Professor Emeritus Academiæ Cracov. Imp. Vilnen. Academiæ Membrum Honorarium.

PHILIPPUS NERIUS GOLANSKI SacræScripturæ, et Eloquentiæ Sacræ Profes. P. O.
JOANNES HENRICUS ABICHT Logicæ, et Metaphysicæ Profes. P. O.
ANDREAS Rawa GAWRONSKI Episcopus Cracoviensis Suæ Cæsareæ Regiæ et Apost. Majestatis a Consiliis intimis.
XYSTUS LEWKOWICZ tam mihi, quam cæteris Polonus spectatissimus.
JOANNES CZERNIAWSKI Linguæ, et Literarum Rossicarum Profes. P. O.
IGNATIUS RESZKA Astronomiæ Profes. P. O.
JOANNES DAVID HOLLAND Musicæ theoreticæ, et practicæ Magister.
JOSEPHUS LA VILLE Sacerdos Gallus, qui mecum Lucernæ Secretarii munus obibat Nuntii Pontificii ad Helvetios.
FRIDERICUS NISZKOWSKI Adjunctus Imp. Vilnen. Academiæ, Multorum Sodalitiorum Philologico-Philosophicorum Membrum.
BENIAMIN HAUSTEIN Academiæ Imp. Vilnen. Adjunctus Linguæ Germanicæ Magister.
CHRISTINA FRANK JOSEPHI Conjux.

JMPRIMATUR.

Die 18va Mensis Julii Anno Dni 1805. *Vilnæ.*

Josephus Constantinus Bogusławski Decanus et Censor Universitatis Imper. Vilnensis.
